INSTITUTIONES MEDICINAE PRACTICAE QUAS AD USUM JUVENTUS...

Pietro Luigi Valentini

Digitized by Google

11. 5. 16

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

11.5.16

Digitized by Google

INSTITUTIONES MEDICINAE PRACTICAE

QUAS

AD USUM JUVENTUTIS

DIGESSIT

PETRUS ALOYSIUS VALENTINI

IN ROMANA UNIVERSITATE PROFESSOR

IN NOSOCOMIIS S. SPIRITUS S. MARIAE DEMENTIUM

S. JOANNIS NATIONIS FLORENTINAE

MEDICUS PRIMARIUS

ET IN EORUM PRIMO PHYSIOLOGIAE LECTOR

AC PLURIUM ACADEMIARUM SOCIUS.

VOL. III.

DE EXANTHEMATIBUS

ROMAE

Ex typographia Contedini 1829.

Ad Thermas Agrippae.

Digitized by Google

11, 5. 46

Digitized by Google

11.5.16
PH 31253

IV = 3

CLASSIS TERTIA

EXANTHEMATA

GENERALIA DE EXANTHEMATIBUS

§. 474. Ut cortex arboribus, sic cutis humano corpori operimentum offert, ejus conservationi, et elegantiae prospiciens. Haec autem nervis, arteriis, venis, vasis lymphaticis, et glandulis varii generis ditata, organon sistit tactus, functionibusque exhalationis, et absorptionis praeest. Siquidem ad interiora se insinuat, plura viscera inducit, et arctissimum cum singulis visceribus commercium habet, ad absolvendas functiones omnes non parum confert. Si igitur talis est cutis structura, exstensio, cum reliquis organis consensus; si talia sint munera, quibus fungitur; nil mirum, si nobis amplissima, et intricatissima mor-

Digitized by Google

borum familia objiciatur, qui eam afficere solent. Inter autem tot morbos sive primarios, sive secundarios, quibus cutis subjicitur, nobis modo de exanthematibus agendum est, ut deinde ad illa vitia impetigines dicta transeamus, quae ejus levitatem, nitorem, integritatem, et colorem contaminant.

§. 475. Exanthema est graecum nomen, quod efflorescentiam significat, a verbo εξανθεω, sive effloresco deductum. Hoc autem vocabulo non solum eruptiones indicantur supra cutim elevatae, eamque inaequalem reddentes, sed latiore sensu etiam illae, quae planae sunt, tactuque non percipiendae. Idcirco papulae, maculae, phlyctaenae, bullae, tubercula, totidem sunt exanthemata, quae cuti aequalitatem, levitatem, et naturalem colorem auferunt. Nos vero cum plerisque exanthematis nomine intelligimus eruptiones, sive ad externam cutis superficiem efflorescentias febriles, quae aut sequuntur febrem, aut hanc comitem habent, aut concitant. Eruptio-

Digitized by Google

nes autem non febriles, quae plus minusve cutem laedunt, inhonestant, diuque persistunt, impetigines vocabimus, quae alteram morborum classem constituunt. Animadvertendum vero est, quod impetigo, graece λειχήν, variam apud auctores significationem obtinet, ut in operibus Hippocratis, Galeni, Celsi, Foesii, et quorumdam recentiorum videre est. Exanthemata autem ab impetiginibus sunt secernenda, non solum quia febribus plerumque sociantur, sed quia non parum ab his sunt dissimilia, quoad naturam, incessum, foenomena. Aliquando exanthemata sine febre absolvunt cursum, ut variolae discretae, et benignissimae; aliquando, facta exanthematis eruptione, febris penitus desinit, sed perstat primarius morbus, et usque ad finem decurrit, ut in benignis variolis, aliisque benignis exanthematibus usuvenit; aliquando febris, quae post eruptionem cessaverat, revertitur, ut accidit dum variolosae pustulae benignae ad suppurationem vergunt; aliquando febris a

Digitized by Google

principio ad finem primarii morbi persistit, sed saepe constantem typum non servat, ut in exanthematibus malignae indolis observatur. Febris autem exanthematum comes quoad typum, et indolem adeo varia est, ut plerumque ad aliquod peculiare genus redigi non possit. Etenim non solum in diversis exanthematibus, sed in uno eodemque exanthemate sub varia specie se se offert; nimirum modo continua continens apparet, modo continua remittens, modo intermittens, modo anomala, modo nervosam, gastricam, inflammatoriam naturam induit, ut non raro in malignis exanthematibus obvenit. Ex his igitur patet, nullam praefinitam febrem ad exanthemata spectare. Ex his etiam intelligitur, quare a febribus sejungenda sint exanthemata, et quare post febrium expositionem de hisce morbis, qui plerumque febrem sociam habent, agendum sit.

§. 476. Cum subinde exanthemata proprium, et essentialem constituant morbum; subinde febribus varii generis, aliis-

Digitized by Google

que morbis superveniant, nascitur distinctio admodum utilis, et necessaria, in exanthemata primaria, sive essentialia, et in symptomatica, sive non essentialia. Statim ac igitur haec comparent, quae sit eorum natura investigandum est. Primaria nascuntur a specifica caussa, scilicet persaepe a peculiari contagio, ex quo suscepto modo citius, modo serius evolvitur morbus, qui per certum temporis spatium cutim obsidet, sua percurrit stadia, varias metamorphoses subit, et nonnunquam post se speciales reliquias deserit. Symptomatica a peculiari caussa non proficiscuntur, sed febribus diversi generis, exanthematibus primariis, aliisque morbis superveniunt, eosque saepissime exasperant, ut in febribus malignae indolis observari solet, cum exanthema miliare, aut peticulae efflorescunt. Praeterea ut plurimi alii morbi in baligna, et maligna dividuntur axanthemata. Hujusmodi divisio magni ponderis est, utpote eorum ingenium, aut characterem denotans. Benignitas autem vel malignitas non

Digitized by Google

solum a generalibus, sed etiam a quibusdam veluti propriis signis deducitur, quibus praesentibus vel absentibus, genuinus character exanthematum elucet. Inter haec signa primum locum febris tenet. In benignis enim exanthematibus haec modo deest, modo exigua est, modo eruptione absoluta mitescit, aut una cum suis symptomatibus cessat; in malignis vero interdum non imminuitur, sed ut plurimum vehementior fit, et nova accedunt teterrima symptomata, ut spasmi, convulsiones, vigiliae, delirium, coma profundum, tendinum subsultus, tremor artuum, rigores, anxietates, virium debilitas, lipothymiae, respiratio inaequalis, cita, laboriosa, crebris interrupta suspiriis, exanthemata symptomatica, etc. Aliud indicium est eruptionis modus, qui in benignis exanthematibus facilis est, et regularis; in malignis difficilis, et inordinatus, quem pertinaces nervorum turbae sequuntur. Ast inter symptomata, quae ut pathognomonica malignitatis habentur, quia naturam morbi typhoden

Digitized by Google

indicant, nonnulla sunt, quae nec semper in malignis exanthematibus occurrunt, nec semper eorum perniciosum ingenium ostendunt. In hisce enim admonet Burserius, non semper virium defectum observari, idque propria experientia affirmat, dum vol. 3. §. 7. inquit = Quod vero de virium subito lapsu, aut defectu, utpote malignitatis pathognomonico signo universim traditur; id etsi, ubi se exhibet, maximam considerationem mereatur, non tamen in omnibus exanthematicis morbis perpetuo occurrit: nam saepissime hos perniciosissimos, et brevi lethales demiratus sum in aegrotis, qui viribus animalibus ita valebant, ut sine ullo labore è lecto surgerent, starent, incederent, alvum stantes dejicerent, atque ut sani in lecto facile in utrumque latus se se revolverent. = Nos autem animadvertimus, quod virium debilitas non semper a maligna, et perniciosa exanthematum natura, sed ab aliqua caussa liberum functionum exercitium impediente nascitur. Interdum enim in

Digitized by Google

illis morbis exanthematicis occurrere potest, qui naturam typhoden non praeseferunt. Ita nervorum turbae, inter malignitatis symptomata adnumeratae, non semper a nervosa morbi indole, sed ab aliis caussis irritantibus, efficaciterque in nervos agentibus proveniunt, ut non raro in morbis inflammatoriis obvenit. Hoc autem diligenter observandum est, ne de morbi indole falsum judicium formemus. Siquidem exanthemata aut regulariter, aut irregulariter sua stadia percurrunt, alia nascitur partitio in regularia, sive ordinata, et irregularia, sive anomala. Prima dicuntur, quae post brevem febrem erumpunt, et symptomatibus cujusvis periodi propriis stipantur; altera, quae sine ordine procedunt, scilicet modo citius, modo serius, post longam et anomalam febrem efflorescunt, et insuetis symptomatibus comitata ad finem perveniunt. Persaepe regularitas in morbis exanthematicis benignis observatur, quamvis etiam hi quibusdam varietatibus interdum subjiciuntur, et a consueta pro-

Digitized by Google

cedendi ratione aliquantulum deflectunt. Sed hujusmodi varietates leves sunt, ut saepe in variolis discretis deprehenditur, quae etsi benignam naturam retineant, lente in suppurationem abeunt. Irregularitates autem in quibusdam epidemicis constitutionibus, et exanthematibus malignae indolis frequenter offenditur. In simplicia etiam et complicata distribuuntur exanthemata. Spectant ad primum genus quae aliis morbis non conjunguntur, et propriis tantummodo symptomatibus stipantur; ad secundum quae ab hac simplicitate recedunt, eorumque symptomata aliquam complicationem aperte declarant. Complicationes autem exanthematum ad quatuor praecipua capita rediguntur, videlicet ad complicationem inflammatoriam, gastricam, typhoden, putridam. Hae contingunt, si annua, vel epidemica constitutio morbis inflammatoriis, gastricis, nervosis, putridis faveat; si quis error vel in diaetetico regimine, vel in medendi ratione patretur, unde morbi curriculum perturbatur. Dum expositae compli-

Digitized by Google

cationes locum habent, primaria exanthemata, inflammatoria, gastrica, typhodea, putrida appellantur. Quoad primam complicationem, si ad omnia animum attenderis, videbis exanthemata, quamvis simplicia, plus minusve ad inflammatoriam diathesin esse proclivia: idcirco ea solum appellari debent inflammatoria, quae morborum phlogisticorum vehementia in conspectum veniant. Itaque si in hominibus robustis, et plethoricis suscitetur violenta febris; pulsus sint veloces, pleni, duri; carotides, et arteriae temporales vehementer pulsent; facies, et oculi rubeant; linguae siccitas, et sitis urgeant; respiratio sit fervida, magna, difficilis, parva, brevis, cita; urinae rubrae reddantur; inflammationes cerebro, pulmonibus, oculis, faucibus, aliisque visceribus impendeant; sanguis è vena missus sit densus, serosae partis inops, et tenaci crusta obductus, de complicatione phlogistica non erit dubitandum. Si vero haec signa desint, impetus quo interdum morbi exanthematici adoriun-

Digitized by Google

tur, et celeritas, qua ad acmen perveniunt, ad eorum inflammatoriam indolem constituendam non sufficiunt. Complicatio autem gastrica non semper est realis, sed aliquando apparens, ejusque signa maxime fallacia sunt. Etenim in exanthematicis morbis non deficiunt signa, quae veluti gastrica habentur, ut albidus linguae color, nausea, vomitus, ponderis sensus in epigastrio, praecordiorum anxietates; sed si certiora desiderentur, illa certe ambigua sunt, et infida. Ab aestu febrili saepe albidus linguae color, nausea, vomitus; a spasmis ventriculi, duodeni, diaphragmatis reliqua saepe proficisci solent. Dum agit exanthematum contagium, aut dum hoc cum ventriculo aliquam habet affinitatem, comparent signa, quae gastrica videntur, quin gastricae sordes adsint. Revera vix absoluta exanthematis eruptione, hujusmodi foenomena saepissime evanescunt. Verum si annua constitutio affectiones gastrices adjuvet; si morbus in homines voraces incidat; si dyspepsia, anorexia,

Digitized by Google

alvi durities praeiverint; si cum expositis signis alia certiora concurrant, ut pravus, vel amarus oris sapor; halitus foetens; subictericus faciei, vel urinarum color; vomitus acidae pituitae, aut corruptae bilis; dejectio foetidae, et putridae materiei; epigastrii, et hypochondriorum inflatio; intestinorum murmur, quae a flatibus distenduntur; de gastrica complicatione certi erimus, praecipue si dejectiones, sive spontaneae, sive artificiales, levamen afferant, et indicia typhodea non appareant. Etiam ad complicationem typhoden deprehendendam, ne decipiamur, omnia circumspicienda sunt. Aliquando in primo morbi limine, aliquando sub ejus decursu haec obvenit complicatio. In initio morbi, si typhi contagium cum illo exanthematis statim ineat connubium; aut aegri a praegressis morbis enervati sint; aut infirma constitutione donati: in decursu, si praeposterа adhibeatur medendi ratio, aut accedat aliqua caussa, quae frangat aegri vigorem. Symptomata vero hujusce compli-

Digitized by Google

cationis alia dubia, alia certiora sunt. Virium enim debilitas, nervorum turbae, pulsus inaequalis, nausea, vomitus, quae adynamiae symptomata judicantur, nisi alia certiora conveniant, ad eam denotandam non sufficiunt, quippe quae ab aliqua nervorum irritatione, aut ab impedito functionum exercitio subinde producuntur. Quapropter si aeger jam debilis exanthemate correptus magis langueat; febris exigua cum pulsu debili, parvo, celeri, inaequali explicetur; calor sit mitis, aut naturali minor; sitis pauca; facies pallida, tristis, et a statu sano deflectens; animus abjectus; urinae aqueae, tenues, crudae; gravescat caput, et aeger vertigine, comate vigili, alienatione mentis laboret; artus contremiscant; nausea, et vomitus molestent, aut nullus vomitus, nec alia symptomata ob ingentem virium vitalium depressionem fatigent; irregularis sit eruptio, nimirum cita, lenta, imperfecta; efflorescentia symptomaticorum exanthematum compareat; nervorum turbae post eruptionem per-

Digitized by Google

stent ; de diathesi typhode non fluctuabimus, praesertim si epidemica constitutio nervosas aegritudines obsecundet ; si praegressi morbi ad eas disponant ; si evacuationes evidenti damno contingant. Denique ad putridam complicationem detegendam nulla ambiguitate involvimur. Indubia enim symptomata se se offerunt, quae sanguinis tenuitatem, liquescentiam, dissolutionem, et ad putrescendum proclivitatem ostendunt, ut oris halitus gravis, teter, intolerabilis ; foetidus sudoris, et urinarum odor ; pulsus debiles, molles, et qui pressione etiam levissima se subdunt ; haemorrhagiae profusae, quae aegre coercentur, corpusque viribus exhauriunt ; peticularum, aut macularum lividarum, et nigricantium eruptio ; etc. Si igitur haec symptomata prodeunt, et signa diatheseos inflammatoriae, gastricae, nervosae deficiant, conspicua erit putrida complicatio, quae in hominibus dyscrasia scorbutica laborantibus persaepe contingit. Animadvertendum vero est, quod interdum nervosa symptomata cum

Digitized by Google

illis dissolutam sanguinis crasin denotantibus conjunguntur.

§. 477. Primaria exanthemata quaedam percurrunt stadia, quibus eorum curriculum praefinitur. Haec habent sua nomina, scilicet latentis contagii; invasionis, seu, ut aliis placet, separationis; eruptionis; desquamationis; suppurationis; exiccationis; quae, si morbus rite procedat, convalescentia sequitur. Dicitur stadium latentis contagii, quod ab hoc suscepto ad primum morbi initium extenditur. Nunc aliquot dies non superat; nunc ad aliquot hebdomadas producitur. Interdum enim contagium clam in corpora ingreditur, eaque cito inficit, quod in epidemicis constitutionibus saepe obvenit; interdum diu latet, nec manifestatur, nisi aliqua accedente caussa, ut est quaedam aëris constitutio, quae efficiat, aut ut illud evolvatur, et nocendi potentiam acquirat; aut ut corpora ad ejus efficacitatem persentiendam apta fiant. Absconditum contagium cognoscere arduum est; sed de eo in suspicionem adducimur, si,

Digitized by Google

dum exanthemata epidemice regnant, aliqua eveniat sanitatis perturbatio; aut si, dum talis est aetas, anni tempestas, aëris constitutio, regio, quae alicujus exanthematis evolutioni annuere solet, compareant signa, quae ab incipiente actione contagii, modo unam, modo aliam sedem occupantis, probabiliter pendeant. In hisce vero expendendis esse debemus circumspecti. Stadium invasionis est, quod incipit ab ingressu febris, et usque ad exanthematum eruptionem progreditur. Statim ac igitur contagium, aut alia caussa evidentes in corpore producit effectus, hoc stadium inchoat. Tunc temporis surgit plerumque febris, et quaedam symptomata, quae a diversa contagii natura, et ab ejus affinitate cum uno, aut plurimis organis oriuntur. A contagio enim modo fauces, modo pulmones, modo ventriculus, modo folliculi, vel glandulae, modo plurima organa, et universum nervorum systema praecipue afficitur, et ab horum organorum laesione, quale sit erupturum exanthema vaticinamur, maxime

Digitized by Google

si observetur illud, quod magis grassari solet. Ut plurimum hoc stadium illud excipit eruptionis, aut afflorescentiae; dico ut plurimum, quia quandoque invasionis stadio, absque subsequente eruptione, primaria exanthemata terminantur. Eruptio comparentibus exanthematibus exorditur, et eo usque extenditur, quo haec aut resolvi, aut desquamari, aut suppurare incipiunt. Ut autem cognoscatur exanthematis genus, observandae sunt partes, ubi primae metamorphoses apparent, quae pro varia ejus natura, variae sunt. Enimvero exanthemata aut resolvuntur, aut in furfures et squamas, aut in suppurationem abeunt, prout fert eorum natura. Plerumque illa sub forma macularum, et papularum prodeuntia, aut resolvuntur, aut desquamantur; quae vero tuberculorum, vesicularum, et pustularum adspectum referunt, suppuratione finiuntur. Hinc eruptionis stadium modo resolutio, modo desquamatio, modo suppuratio sequitur. Dicitur desquamationis stadium, cum epidermis in furfures et squamas secedit. De-

Digitized by Google

quamata, et sejuncta epidermide, cutis nuda, et sensilis remanet, doneo illa renovetur. Vocatur autem suppurationis stadium, cum exanthematum pustulae in abscessulos convertuntur. Secundum variam morbi indolem non semper bonum pus, sed quandoque ichor, serum, acris lympha in pustulis continetur. Hujusmodi humores ut plurimum contagiosi sunt, aut contagio vehiculum praebent. Stadium exiccationis est illud, in quo disrumpuntur abscessuli, et ab effuso pure, aëris actione condensato, formantur crustae. Hisce stadiis convalescentia succedit, quae maximam considerationem meretur. Tum enim plura contingunt foenomena cujusvis exanthematis propria, et varia impendent pericula, de quibus loquemur, cum de singulis exanthematum generibus agendum erit.

§. 478. Multiplices sunt exanthematum caussae, prout eorum natura differt. Plurima enim exanthemata a specifico contagiò, vel a materie heterogenea in corpore genita, vel extrinsecus recepta, quoad

Digitized by Google

indolem, efficaciam, effecta, dissimillima, nascuntur. Hujusmodi contagium, vel materies cor, arterias, nervos irritat, et concitat febrem; et dum illud, vel haec ad cutem plane propellitur, ac benignae indolis est, cito desinit febris, ejusque symptomata; dum vero nec omnino secesserit, nec bonae indolis sit, post exanthematum eruptionem persistit febris, aut exacerbatur, aut imminuitur, aut inordinate procedit, donec contagium, aut materies prorsus expellatur. In morbis exanthematicis velamenta corporis in primis afficiuntur; sed quia contagia aliquam interdum affinitatem habent cum aliis partibus, hae irritantur, inflammanturque, ut caput in variolis; fauces, pulmones, oculi in morbillis; sub initio scarlatinae fauces, sub ejus fine subcutaneus, ac cellularis textus. Plura autem primaria exanthemata modo ab internis, modo ab externis caussis nascuntur, ut ab actione aeris vel nimis calidi, vel nimis frigidi; a perspiratione retenta; a gastricis inquinamentis; a bilis, humorumque vitiis; ab

Digitized by Google

ipsa plethora; a nervorum irritatione, etc. Quandoque eà oriuntur ab externis caussis, etiamsi levissimis, ut in hominibus sensibilioribus ab actione solis erysipelas producitur.

§. 479. Generalis exanthematum primariorum prognosis ab ipsa eorum natura potissime eruitur. Itaque observandum est, an regularia, vel irregularia; simplicia, vel complicata; benigna, vel maligna sint. Si enim signis malignitatis careant, et a quavis complicatione aliena per sua stadia ex ordine progrediantur, felicem exitum fore, sperandum est. Bonum est etiam, si exanthemata benigna, et regularia corripiant corpora caeteroquin sana, et aetate inter dentitionem et pubertatem intercedente; si aër nec nimis frigidus, nec nimis calidus sit; si moderata suscitetur febris, quae ad heterogeneae materiae excretionem, et depositionem in cutem absolvendam sufficiat. Contra magnum imminet periculum, si exanthemata irregularia, et maligna aggrediantur illos, qui jam iniqua valetudine conflictan-

Digitized by Google

tur; si hyems frigidissima, aut aestas calidissima sit; si urgeat dentitio, pubertas, menstruatio, graviditas, puerperium. Praetera constitutio vel epidemica, vel annua perpendenda est. Ex hisce enim constitutionibus omnes morbi, sed in primis exanthematici benignam, vel malignam induunt naturam. Idcirco exanthemata quae transactis annis leniter, et absque periculo prosiliebant, alio adveniente tempore, ferociter debacchantur, et ubique stragem edunt. Quoniam vero in unoquoque exanthematum stadio varia contingunt, quae ad formandam prognosin conducunt, haec etiam sedulo investiganda sunt. Si stadium latentis contagii non parum extendatur, persaepe morbus mitior est. In benignis exanthematibus stadium invasionis sine magno impetu ingruit; febris non est acutissima, nec gravibus urget symptomatibus; exanthemata symptomatica non comparent. Quandoque vero febris, et symptomata graviora sunt, sed, absoluta eruptione, mitescunt omnia. Contra in malignis assidua, et vehemens est

Digitized by Google

febris, etiam post eruptionem; perniciosa sunt symptomata, ut virium dejectio; pulsus parvus, debilis, inaequalis; spirandi difficultas; mentis alienatio; efflorescentia peticularum, et exanthematis miliaris, etc. Stadium eruptionis offert bona signa, si haec nec nimis cita, nec nimis lenta appareat; si post eam febris, et reliqua symptomata aut imminuantur, aut cessent; si exanthematum color sit laetus. Benignorum enim exanthematum color ab illo malignorum valde differt, ut, similitudine ab herbis desumpta, scite inquit Joseph Franchius p. 1. tom. 2. § 5. = Quemadmodum enim forma amoena herbarum innocuarum ab adspectu lurido vegetabilium veneficorum differre solet; ita et species laeta exanthematum benignorum ab habitu tristi morborum hujusmodi cutis malignorum differt. = Ex adverso mala, si exanthematis efflorescentia irregularis sit; si post eam febris sistat, aut cum omnibus symptomatibus ingravescat, quae interdum gravissima sunt, ut virium destitutio; pulsus debilis, lipothy-

Digitized by Google

miae, spasmi, delirium, etc. Si tota lues non expellatur, sed magna hujus pars intus maneat, quia laeduntur viscera, et contaminantur humores, maxime timendum est. Si ante praefinitum tempus exanthemata evanescant, proindeque internas partes invadant, lethalia symptomata sequuntur, ut anxietates, convulsiones, delirium, inflammationes non facile resolvendae. Haec exanthematum regressio aut a frigore imprudenter suscepto, aut a repentinis aëris mutationibus, aut ab animi pathematibus saepe producitur. In exanthematibus, quae desquamatione terminantur, si haec debito tempore cum symptomatum imminutione fiat; aut criticae per sudorem, urinam, alvi fluxum separationes contingunt, feliciter morbum solutum iri sperandum est. Contra infausta erit praesagitio, si post desquamationem gravia supersint symptomata, ut diarrhoea, quae vires prosternit, et saepe consumptionem, et mortem affert. Dum exanthemata in suppurationem abeunt, non raro resurgit febris. Si haec, confecto pu-

Digitized by Google

re ; recedat, bonum ; malum, si perseveret, et nocturnis horis cum reliquis symptomatibus intendatur. Hoc proprium est malignorum exanthematum, in quibus vehementius torret febris, nec absoluta suppuratione evanescit. Haec autem non solum a suppuratione, sed etiam a refluxu puris, et ichoris in sanguinem excitari videtur; et pro varia epidemica, vel annua constitutione, statu virium, aetate, temperie, humorum indole, diversam assumit naturam. Resorptum pus non modo febrem suscitat, sed in interiores partes, et viscera translatum, ibique haerens, morbos periculosissimos parit. Interdum vero per renes, aut per alvum excernitur, aut in aliquam externam partem fertur, ibique in abscessum abit. Tandem si laudabilis exiccatio sequatur, et aliqua crisis salutaris obveniat, penitus aegri recolliguntur a morbo. Ast quia post desquamationem, aut exiccationem nonnunquam maneant morbi reliquiae, nemo in perfectam sanitatem restitutus, nisi confirmata sit valetudo, judicandus est.

Digitized by Google

§. 480. Quoad generalem exanthematum curationem, merito Burserius tom. 3. inst. med. §. 13. inquit = Quae demum cuique exanthematum generi, singulisque eorum periodis conveniat curatio, in universum decerni vix potest = Nihilominus nonnulla generalia praecepta tradenda sunt. Itaque si exanthemata sint primaria, regularia, simplicia; si natura ad separationem heterogenei, et noxii principii per se sufficiat; nil aliud est faciendum, nisi diaeteticum regimen praescribere, et quaedam mulcere symptomata. Si vero irregularia sint; si suis motibus natura vel excedat, vel torpeat; si hisce motibus aliqua obnitatur caussa, eosque perturbet; ut nimia vasorum plenitudo, gastricae sordes, etc. curandum est, ut morbus ad ordinem veniat; ut naturae motus vel refraenentur, vel incitentur; ut caussa hosce motus perturbans removeatur. Praecipua autem curationis momenta in quibusdam rebus collocantur, vel fugiendis, vel amplectendis. Aër ex. gr. nec calidus sit, nec frigidus; aeger in lecto decumbat,

Digitized by Google

nimiis stragulis non operiendus; lintea, quae mutantur, nec frigida sint, nec humida; frigus quod exanthematum eruptioni adversatur, aut, eruptione facta, periculosas metastases producit, removendum; splendida etiam lux vitanda; ut quaecumque animi perturbatio; medicamentorum irritantium, et calefacientium administratio, utpote perniciosissima; potus, qui sub initio morbi cubiculi temperaturae respondere debet, mox, praecipue versus finem, leniter sit diaphoreticus, ut adjuvetur perspiratio, et nocua materies libere, penitusque possit exilire. Potui igitur idonea sunt aqua cum succo mali medici, vel aurei, et saccharo; emulsiones amygdalarum dulcium, vel seminum melonum; infusio florum tiliae, aut sambuci; serum lactis depuratissimum; et alia hujus generis. Alimenta autem per totum morbi cursum tenuissima, et humectantia sint, ut jura tenuiora ex pulli, vitulique carnibus; cremores hordei, aut oryzae; decoctum panis albi; fructus dulces, subacidi, recentes, aut cocti, et sac-

Digitized by Google

charo conditi, ut pruna, cerasa, fraga, pyra, poma, quae etiam alvum blande cient, quod primis morbi diebus maxime confert. Evacuationes, quae in decursu morbi saepe spontaneae contingunt, compescendae non sunt, nisi excedant. Si vero alvus sit nimis adstricta, clysteribus antiphlogisticis tantummodo sollicitetur. Purgantia enim non conveniunt, nisi gastricarum saburrarum adsint indubia signa.

§. 481. Si exanthemata sint complicata, quae sit eorum complicatio, explorandum est. Si inflammatoria, praeter sanguinis missiones, temperantia, diluentia, antiphlogistica conducunt, et nisi alvus fluxa sit, lenia purgantia. Si gastrica, aut emesis, aut purgatio confert, prout ventriculus, aut intestina corruptis, biliosis, vel mucosis sordibus scateant. Si emetica ob aliquam rationem adhiberi non possint, aut suspecta videantur, levibus purgantibus, aut clysteribus, qui fere semper innocui sunt, educantur sordes. Si dum gastrica signa appareant, illa inflammationis ventriculi, vel intestinorum non

Digitized by Google

desint, ab emeticis, et purgantibus cavendum est; sed diluentia, temperantia, emollientia tam extrinsecus, quam intrinsecus usurpentur. Si gastricis saburris immisceantur vermes, quo facilius expellantur, vel enecentur, purgantibus semen santomici, corallina maritima, et alia anthelmintica adjicienda sunt. Si nervosa, quae ex summo virium languore, et symptomatibus febrium nervosarum propriis cognoscitur, roborantia in primis juvant. Itaque pro victu concedantur jura carnium cum vitellis ovorum, addito succo mali citrei; pro potu diluta florum sambuci, aut tiliae, decocta radicum scorzonerae, graminis, aut hordei, quibus addi potest vini tantillum; cortex autem peruvianus, camphora, vinum, cardiaca, praecipua medicamenta sint. Si putrida, quae a signis putridae dissolutionis, et ab indole epidemicae constitutionis comprehenditur, quae liquescentiae, et putrescentiae humorum opponuntur, idonea sunt, ut acida validiora, cortex peruvianus, camphora, et alia hujus generis. Cubiculi, et le-

Digitized by Google

cti ventilatio non omittatur; aër esto purus, et subfrigidus.

§. 482. In curatione exanthematum saepe plures difficultates, et ambiguitates nos implicant. Etenim exanthemata sub eorum decursu frequenter indolem mutant; aut eodem tempore plures diatheses complicantur. Idcirco aut pro re nata diversa medicamina sunt eligenda; aut caute agendum est. Si ambigamus, ab heroicis remediis abstinendum, donec rerum positio minus dubia videatur. Hac ratione nisi aegrotantibus suppetias, damnum non feramus. In dubiis morbis saepe cunctatio, et rerum simplicium usus utilior est, quam imprudens efficaciorum remediorum exhibitio. Si vero unius diatheseos symptomata saevius urgeant, ad eorum ferociam refraenandam non expectabimus.

§. 483. Saepe obvenit in exanthematum cursu, quod eruptio sit lenta, difficilis, interrupta, cohibita; aut exanthema ante debitum tempus evanescat, et retrocedat, unde internae partes, et viscera capitis, pectoris, abdominis afficiun-

Digitized by Google

tur. Horum foenomenorum caussa inquirenda est, ut ad eam removendam, aut ad ejus perniciosos effectus repellendos, adhibeamus auxilia. Interdum facili eruptioni impedimento est vasorum plenitudo, aucta virium vitalium actio, inflammatoria diathesis, ut ab habitu corporis plethorico; a pulsu pleno, valido, duro; a difficili respiratione; ab ingenti calore deprehenditur. Hoc in casu methodus expedit antiphlogistica. Interdum eruptioni opponuntur primarum viarum saburrae, quae spasmos inferunt, et a signis alibi expositis indicantur. Tum antigastrica methodus opem affert. Interdum quae vires vitales deprimunt, eruptionem impediunt. Virium defectus a pulsu debili, molli, inaequali; a languore, et pallore aegrotantium; ab exanthemate decolore, et cito evanescente; a frigore et marcore cutis ostenditur. Ad hanc caussam remedia sunt cardiaca, et roborantia. Si frigus incaute admissum, aut tempestatis rigor eruptioni obnititur; cubiculi, et lecti calor prudenter augeatur, et potiones den-

Digitized by Google

tur moderate calidae. Si eumdem effectum aliquod animi pathema producat, ut improvisus terror, ira, etc. restituenda est animi quies; potiones egelidae sint; corpus satis vestibus tegatur. Eaedem fere caussae regressum exanthematum inferunt; ideo ut ea ad cutem revocentur, modo antiphlogistica, modo evacuantia, modo roborantia, modo sudorifera praestant. In horum vero remediorum usu maxima requiritur prudentia; nam indiscriminatim diaphoretica, vesicantia, sinapismata, balnea tepida, cucurbitulae, purgantia, emetica adhiberi non possunt, ut speciatim de exanthematibus locuturi demonstrabimus. Tamen ut aliquod adducamus exemplum, vesicantia juvant in lenta exanthematum eruptione, si vires deficiant, exigua sit febris, calor mitis, integra sanguinis crasis; contra admodum nocent, si aut plethorae adsint indicia, aut humores dissoluti sint, et ad corruptionem proclives. Sic in regressione exanthematum convenit vesicantium applicatio, si viscera capitis, pectoris, abdo-

Digitized by Google

minis attentantur, dummodo inflammationes horum viscerum jam evolutae non sint, quarum praesentissimum remedium sanguinis missiones, et antiphlogistica sunt. Sic de reliquis remediis, praesertim de sudoriferis dicendum est. Haec enim saepe nimis exstimulant, nec ad quodvis exanthema in cutem reducendum semper valent.

§. 484. De curatione convalescentiae, quae primaria exanthemata sequitur, parum in genere dici potest. Quodcunque enim exanthema habet convalescentiam propriam, et varia post se relinquit symptomata. Ex. gr. post morbillos aut remanet tussis, quae neglecta inflammationem pulmonum, et phthisin inducit; aut diarrhoea, quae non curata diu protrahitur, dejicit vires, et tandem consumptionem, et mortem advehit. Sic post variolas aut vires maxime languent; aut repullulat febris, quae lente corpus depascitur; aut oculorum, et aurium relinquuntur morbi, qui peculiaria exposcunt auxilia. Quaevis igitur convalescentia vario-

Digitized by Google

rum exanthematum propria; quaevis relicta symptomata, seorsim consideranda sunt, ac eorum origo investiganda. Quoniam persaepe post exanthemata aliqua reproducitur febris; calor, et irritatio quaedam remanet; somnus inquietus, et cibi fastidium perseverat; lenia eccoprotica juvant, et edulcorantia, ut serum depuratum, lac aqua dilutum, emulsiones seminum frigidorum, etc. In universum convalescentes aëris mutationibus non exponantur, et exactum vitae regimen observent. Etenim convenienti victu, aëre puro, et rurali, vectione, et moderata corporis exercitatione, saepe ad perfectam sanitatem restituuntur. Hisce praemissis, ut speciatim agentes de exanthematibus methodo procedamus, duos statuemus ordines, quorum primus complectetur exanthemata plana, quae cutis superficiem aut nihil, aut parum superant; alter exanthemata elevata, quae supra corporis superficiem extolluntur.

Digitized by Google

ORDO PRIMUS

Exanthemata plana

GENUS PRIMUM

Erysipelas

§. 485. Erysipelas est morbus humanae cutis, quem alii ad febres, alii ad inflammationes, alii ad exanthemata attinere arbitrantur. Ast nec semper febri se adjungit, nec ut inflammationes procedit, sed sua stadia percurrit, et resiccata, et desquamata epidermide resolvi solet; unde potiori jure inter exanthemata numeratur. Raro in suppurationem, aut gangraenam desinit; quos exitus habet, ubi inflammatoriam, aut malignam naturam assumit. Immerito autem erysipelas ad bullas refert Willan, quem Bateman sequutus est. Saepissime enim sine bullis hic morbus observatur, praesertim si a locali irritatione dependeat. Itaque

Digitized by Google

erysipelas est exanthema per summam cutem diffusum, eamque aliquantisper elevans, sed tamen planum, figuram praefinitam non habens, per propinquas partes serpens, et non raro in dissitas; febre stipatum; rubore distinctum modo diluto, modo purpureo, modo livido flavescenti, modo nigricanti; qui digitorum pressione evanescit, maculam albam relinquens, illaque remota revertit; pruritu; superficiali calore, et ardore; quandoque ingenti dolore. Cum hujusmodi exanthema magnum ardorem, pruritum, dolorem affert, ignss sacer, aut ignis S. Antonii vocatur. Non est cutis pars, ubi erysipelas non figat sedem, sed frequentius in facie. Etenim nunc universam corporis superficiem, nunc faciem, et partem capillatam capitis, nunc truncum et genitalia, nunc extremitates, nunc etiam viscerum superficiem occupat. Praeter generalia symptomata, in quibus erysipelatis essentia ponitur, alia pro diversa morbi sede se se offerunt sed de his infra dicendum, cum prius praecipuae illius differentiae ab auctoribus statutae recensendae sint.

Digitized by Google

§. 486. Dividitur erysipelas in verum, spurium, phlegmonodes, oedematodes, scirrhodes, fixum, ambulans, bullosum, carbunculosum, phlyctaenosum, gangraenosum, laevigatum, inaequale, benignum, et malignum. Dicitur verum et legitimum, cum habet characteres supra expositos; spurium seu nothum, cum aliquo modo ab his deflectit; phlegmonodes, cum elevat cutim, tumor est diffusus, tensus, profundus, ruber, pressione non albicans, dolorem pungentem, et saepe sensum pulsationis inducens; oedematodes, cum tumor est mollis, minus ruber, serosum humorem continens, et pressione foveas impressas retinens; fixum cum ex uno in alium locum non migrat; ambulans, cum huc et illuc vagatur; bullosum, cum super affectam partem vesiculae erumpunt seroso humore refertae; carbunculosum, phlyctaenosum, gangraenosum, cum aut nigrescit, aut phlyctaenis stipatur, aut gangraena corripitur; laevigatum, cum pustulis, aut vesiculis caret; contra inaequale; benignum, malignum, cum mi-

Digitized by Google

tia, aut gravia infert symptomata, et in gangraenam tendit. Aliae apud auctores inveniuntur divisiones, quarum aliae inutiles, aliae magis experientiae innixae videntur. Burserius erysipelas dividit in protopathicum, fortuitum et symptomaticum. Vocat protopathicum, sive primarium, sive idiopathicum, sive essentiale, quod sponte, et sine ullo praecedente morbo corripit, et a peculiari caussa interius genita, humoribusque insidente nascitur; fortuitum, sive accidentale, quod a caussa manifesta, et externa ortum habet; symptomaticum, quod ab alio morbo pendet. Desault erysipelas distribuit in phlegmonosum, biliosum, et locale. Pearson in phlegmonosum, oedematosum, et gangraenosum. Sprengel duas formas hujusce morbi considerat, nempe vulgarem, et malignam. Mihi autem satius esse videtur, in inflammatorium, et malignum erysipelas dispertiri. Utraque vero species varios habet gradus, qui differentias non constituunt, sed in majore, vel minore morbi intensitate consistunt.

Digitized by Google

§. 487. Inflammatorium erysipelas modo mite est, modo violentum. Primum est saepe simplex localis affectio, interdum febre carens, quae a Cullenio erythema nuncupatur. Ut plurimum vero post levem febrem in aliqua corporis parte comparet. Ejus frequentiora symptomata sunt levis rubor cum tumore parum elevato, sensu potius pruritus, quam doloris; sed interdum rubor intensior fit, diffunditur, et in partes vicinas facile serpit; febris post eruptionem cessat; morbus autem intra tres, vel quatuor dies desquamatione cutis terminatur. Ast interdum diutius moratur; interdum frequenter, et periodice redit; interdum fit habitualis, et per totam vitam perseverans, ut in quorumdam hominum genis videre est. Quamvis erythema modo unam, modo aliam occupet partem, frequentius tamen faciem aut crura infestat. Saepe enim circa nasum, genas, frontem, aut mentum colore ut plurimum profunde rubro, et splendente; saepe sine molesto pruritu; interdum pustulis efflorescit, et tum

Digitized by Google

nomine guttae roseae vulgo distinguitur. Nonnunquam subflavus humor infra cuticulam effunditur, unde surgunt vesiculae hoc repletae. Dum hae vesiculae disrumpuntur, evacuatur humor, et saepe cutis superficies lividum colorem exhibet. Hujusmodi vero color cum aliis symptomatibus plerumpue cito evanescit. Tamen quandoque vesiculae mutantur in ulcera, quae gangraenosa fiunt.

§. 488. Dum erysipelas magis violentum est, symptomata sunt febris, quae modo antecedit, modo eruptionem sequitur; dolor capitis, qui cum aestu febrili augetur; somnolentia, coma, delirium; cutis arida; lingua sicca, aspera; sitis ingens; inquietudo; pulsus frequens, durus; spirandi difficultas; virium prostratio; praecordiorum angustia; dorsi dolor; nausea; vomitus biliosus; corporis jactatio. Postquam per tres, aut quatuor dies febris cum expositis symptomatibus, aut aliis minus frequentibus matutinis horis se remiserit, et vespertinis exacerbata est, in aliqua corporis partes apparet rubor,

Digitized by Google

modo vividior, modo pallidior, satur in medio, in ambitu abiens in naturalem colorem, in partes propinquas se se extendens, pressione evanescens, et hac sublata rediens; aliquantum intumescit cutis, subinde cum sensu potius pruritus, quam doloris, subinde cum dolore mordaci simul, et urente. Haec symptomata una cum febre intensiora fiunt, et saepe erumpunt vesiculae seroso latice plenae, qui, hisce ruptis, diffunditur. Stadium eruptionis plus minusve perstat, prout major vel minor est violentia morbi. Cum erysipelas resolvitur, decrescit febris; gradatim minuitur rubor, tumor, dolor, ardor; cutis calidis sudoribus madet; pulsus molliores evadunt; urina leve sedimentum deponit; saepe sanguis è naribus profluit; vomitus, et dejectiones biliosae contingunt; exiccantur vesiculae, et interdum oedema superest paullatim evanescens. Hujusmodi exitus post septem dies plerumque obvenit, et per aliquot dies persistit, donec functiones ad statum naturalem redeant. Si erysipelas valde violentum sit,

Digitized by Google

non raro suppuratio, aut gangrena sequitur.

§ 489. Si erysipelas sit phlegmonodes, cutis valde tumet, tenditur, et ita rubet, ut pressione non albicet; tumor autem est profundus, et partes sub cute positas pervadit; dolor est pungens, et interdum cum pulsationis sensu; cutis est arida; lingua sicca; sitis ardens; pulsus plenus, durus; febris vehemens. Sub initio morbi nec oris amarities, nec nausea molestant; quae vero post paucos dies superveniunt. Ut plurimum obsidet faciem, praecipue in uno latere; interdum extremitates. Post eruptionem permanet febris; siquidem morbus raro resolvitur, et saepe protracta inflammatione in lentam suppurationem abit.

§. 490. Raro erysipelas est universale; saepius aliquam externam partem, ut caput, collum, truncum, extremitates; aliquando aliquam internam occupat. Plura apud auctores universalis erysipelatis inveniuntur exempla, ut est illud Chinense Sauvagesii, cui obnoxii sunt, qui vernicem extrahunt ab arbore, quae a Linnaeo Rhus

Digitized by Google

vernix vocatur, si hujus exhalationes excipiant. Non omnia vero hujus morbi exempla fidem mereri videntur. Idcirco Joseph Franchius prax. med. vol. 2. part. pr. §. 26. n. 2. inquit = Verum ubi de erysipelate uno, eodemque temporis puncto universam cutim obducente agitur, potius sive scarlatinam, sive urticariam, sive lepram squamosam incipientem pro erysipelate habitam fuisse opinamur = Deinde asseverat, erysipelas observasse, quod sensim sensimque per universam corporis superficiem ita migrabat, ut, una parte relicta, in alteram converteretur. Hujusmodi vero erysipelas dici non potest universale. Nos autem hunc morbum semel vidisse omni asseveratione affirmamus. In homine enim quinquagenario, temperamento sanguineo-bilioso praedito phlegmonosum erysipelas per totum abdomen comparuit colore profunde rubro, lineis splendentibus, et albicantibus distinctum, quae sicut totidem radii a centro ad peripheriam protendebantur. Febris, et alia symptomata vehementia aderant. Tertia

Digitized by Google

eruptionis die per universum corpus, excepta facie, uno eodemque tempore propagabatur exanthema; sed accedentibus convulsionibus, et sopore profundo, occubuit aeger.

§. 491. Cum erysipelas hanc vel illam partem arripit, praecipua differentia ponitur in laesione functionum, quae affectae partis propriae sunt. Tamen aliquid dicendum est, si caput, truncum, aut extremitates morbus invadat. Si igitur in caput irruat, saepe per frontem, palpebras, nasum, genas, partem capillatam, et collum peragratur. Subinde incipit ab alterutra gena, vel nasi radice, vel aure, hinc ad proximas partes, et ad alias extenditur; saepe inflantur palpebrae tumore oedematode; materie puriformi conglutinantur, et oculi clauduntur: subinde, uno relicto loco, ad alium, nempe ad collum, aut ad capillitium, fere inopinanter migrat. Dum levior est morbus, febris remittit, et post eruptionem desistit; faciei tumor aut nullus, aut exiguus; rubedo non tam vivida, et alia sympto-

Digitized by Google

mata levia sunt. Dum vero est gravior, febris non cessat, et intensior fit; caput dolet; interdum facies enormiter tumet; dolor est vehemens, et lancinans; rapide rubedo per universam faciem, et partem capillatam diffunditur; saepe glandulae jugulares tumescunt; interdum erumpunt phlyctaenae, vel pustulae, et vesiculae seroso humore repletae, ex quibus disruptis exit humor, crustis modo nigris, modo fuscis, modo flavis ansam praebens; frequenter aeger soporosus est, et delirans. Non desunt etiam alia symptomata supra exposita, et morbus, ut solet, sua stadia peragit. Ubi morbus est levissimus, facile solvitur, et epidermis desquamatur; ubi vero gravissimus, priusquam in suppurationem, aut gangrenam transeat, mortem properat. Nonnunquam erysipelas partis capillatae ad nucham, dorsum, lumbos, et etiam ad os sacrum descendit: illud vero faciei ad pectus, maxime ad mammas, et interdum ad abdomen desilit. Quandoque prius in pectore, aut in dorso, aut in toto trunco comparet, ut in

Digitized by Google

febribus variae indolis, praecipue nervosis, et malignis evenit, aliquando in extremitatibus superioribus exilit, ut plurimum a caussis localibus productum. Interdum illud capitis descendit ad brachia, sed rarissime bicipitis insersionem praetergreditur. Ante ejus eruptionem saepe glandulae cervicales, et axillares dolere, et intumescere solent. Extremitates vero inferiores saepissime occupantur erysipelate, quod in senibus, et cachecticis est habituale. Cum in hisce artubus erupturus sit morbus, non raro glandulae inguinis, et femoris dolent, et tument, ut observationibus constat.

§. 492. Quamquam nonnulli internum erysipelas negent, tamen innixi veterum auctoritati, et observationibus, tam in viventibus, quam in cadaveribus institutis, de eo dubitare non possumus. Multi enim ab internis inflammationibus evadunt, si ad externam corporis superficiem erysipelas compareat; hoc autem interdum ex partibus externis ad internas penetrat; in cadaveribus saepius erysipelatosa, quam

Digitized by Google

phlegmonosa inflammatio ad viscera capitis, pectoris, abdominis deprehenditur, ut Petrus Franchius epit. §. 280. adnotat. Viscera saepe inflammantur, si consueto tempore habituale erysipelas non efflorescat; et hujusmodi inflammationes ut plurimum non resolvuntur, nisi exterius illud prodeat. Sic a retropulso erysipelate viscera inflammari observantur. Saepe autem hoc ab externis partibus in internas propagatur, si inter has partes non interrupta adsit continuatio. Hinc a facie ad fauces, et pulmones; a genitalibus externis ad vaginam, et uterum subit. Inspectiones autem cadaverum non solum in vasis, visceribus, membranis praesentiam erysipelatis confirmant, sed etiam certiores nos faciunt, plures malignas viscerum inflammationes erysipelatosas fuisse, et superficiales. Internum erysipelas a propriis signis non cognoscitur, sed ex cachectico aegrotantium habitu; natura caussarum inflammationibus veris non faventium; indole epidemicae constitutionis; retropulso erysipelate; defectu efflo-

Digitized by Google

rescentiae hujus exanthematis, dum extrinsecus habituale esse solet; signis malignas inflammationes indicantibus multa probabilitate conjicitur.

§. 493. Erysipelas oedematosum, quod ut diximus languido rubore, tumore molli et seroso, minus renitente distinguitur, in hominibus lymphaticae temperiei, et atonia laborantibus saepe observatur. Si discutitur, interdum in parte affecta tumorem album, aquosum, et mollem relinquit. Si vero contingat in partibus atonia, et chronico morbo vexatis, ut in artubus hydropicorum, aut in scroto anasarca afflicto, aut in externis mulierum genitalibus oedematosis, facile in gangraenam transit. Hic morbus aut sponte, aut post scarificationes in istis partibus institutas supervenit. Suam in gangraenam proclivitatem acerbi dolores; rubedo prius vivida, et splendens, mox livescens patefaciunt.

§. 494. Erysipelas habituale quibusdam anni temporibus; praecipue vere, et autumno periodice remeat. Corripit aetate

Digitized by Google

confectos, cachecticos, aliqua humorum labe laborantes, mulieres infirmae temperiei, et menstruorum fluxu carentes. Plerumque sine impetu, et febre procedit, ac in partibus affectis duritiem, et tumorem aegre solvendum linquit. In muliere quadragenaria, debili, menstruis adhuc, sed parcis donata erysipelas observavimus, tempore aestivo in extremitatibus inferioribus recurrens, ex quo durities, et tumor remanebat, qui post longum temporis spatium resolvebatur. Ineunte autem vere transacti anni dextram manum occupavit exanthema; et talem duritiem, et tumorem, praesertim circa phalanges, reliquit, ut fere prorsus digitorum articulatio impedita conspiciatur.

§. 495. Malignum erysipelas, ut in hominibus debilibus, praegressis morbis labefactatis, luxu confectis, cachecticis, scorbuticis, et lue venerea afflictis, primarium; sic symptomaticum in febribus nervosis gravissimis, et in ipsa peste nonnunquam occurrit. Hujusmodi morbus a nervosa febre, et inflammatione asthenica

Digitized by Google

erysipelatosa constituitur. Post universalem lassitudinem corripit febris intenso frigore, cui succedit calor generalis, et urens; cito vires fatiscunt, et gravissima insurgunt symptomata, ut magna sitis, capitis, et dorsi dolor, praecordiorum angustia, nausea, vomitus, lipothymiae, vigilia, delirium, stupores, sopores, convulsiones, subsultus tendinum, pulsus frequentes, depressi, inaequales. Secunda, tertia, aut quarta die prodit in aliqua parte erysipelatosa inflammatio, quae rapide extenditur absque magno tumore; nunc color est vivide ruber, nunc livescens, et nigricans; molestat ardoris sensus; surgunt vesicae acerrimo latice scatentes, quae nullo negotio rumpuntur, et foetidum humorem emittunt; inter vesicas maculae livescentes egrediuntur, peticulis magis extensae. Saepe maligno erysipelati adjunguntur peticulae, quae ejus eruptionem plerumque praecedunt. Cum erysipelas lividum fit, et nigrum, dolor, et ardor in affecta parte placatur, accedunt frequentes lipothymiae, diarrhoea; extrema frigent; gelidi

Digitized by Google

sudores fronte, et collo manant; facies fit cadaverosa, pulsus exilissimi; tandem sopore profundo devictus aeger tranquille moritur. A Platnero sub nomine maculae latae malignissimum erysipelas describitur, quod cito lividum et nigrum fit, et mortem affert. Illud autem erysipelas dicitur pestilens a Sauvagesio, quod summam cum pestilenti morbo affinitatem habet. Pertinet ad erysipelas malignum, quod infensum recens natis non raro observatur. Hoc ut plurimum ad umbilicum, regionem pubis, genitalia; aliquando ad extremitates, nucham, aut plura simul loca apparet. Plures auctores, maxime recentiores, de hoc morbo loquuti sunt, sed ejus absoluta descriptio in dissertationibus, quas prodidit Underwood adinvenitur. Ex his deducitur, saepe inflammationem ad viscera abdominis extendi. Primis a partu diebus, vel etiam tardioribus, praegressa inquietudine, ejulatubus, vigilia, lactis vomitu, morbus rubedine livescenti, et duritie se se exhibet. Si prematur afflicta pars, ingens suscitatur do-

Digitized by Google

lor, ut ab infantis fletu, et musculorum faciei distortione deprehenditur. Plura autem, et gravia accedunt symptomata, ut anxietas, respiratio crebra, lingua arida, vomitus poracei, aphthae, alvus vel cita vel adstricta, vigilia, gemitus, suspiria, oculi caligantes, etc. Tanta saepe est morbi vehementia, ut facillime in gangraenam transiliat, et tertia aut quarta die infantes sopore oppressi pereant. Hi vero interdum macie, et nervorum resolutionibus enecantur, si morbus lentius procedat.

§. 496. Nonnunquam erysipelas aliis affectionibus complicatur, praecipue gastricis. Interdum cum aliis exanthematibus prorumpit, maxime si epidemicum sit. Si ab alio morbo nascatur, non ut complicatum, sed ut symptomaticum habendum est, ut saepe in anasarca, ascite, ictero, vulneribus partium nervosarum, ossium fracturis evenit. Tamen animadvertendum est, quod, alio praeexistente morbo universali, quandoque supervenit erysipelas, quod symptomaticum non est, sed a propriis caussis dependet, ideoque pri-

Digitized by Google

marium. Dum symptomatice accedit, caussae et symptomata primarii morbi praecedunt, et illius curriculum huic respondet.

§. 497. Ex dictis patet, erysipelas in cutis superficie sedem figere, dummodo phlegmonosum non sit, quod altius penetrat. Ex turgentibus autem vasis sanguineis, et lymphaticis cutis proficisci videntur communia morbi symptomata; ut hujus transitus ex una in aliam partem ab actione vasorum affectorum absorbentium exponitur. Quamvis phlegmonosum erysipelas cellularem membranam occupet, tamen a phlegmone distat. Ab eo enim bonum pus, in circumscripta cavea contentum, non producitur; sed potius purulenta secretio: ac compressione affectae partis quaedam fluctuatio percipitur. Saepe autem cellularis membrana subjecta cuti gangraena afficitur.

§. 408. Quin phlogosis sit proxima erysipelatis caussa indubium videtur, ut ab hujus symptomatibus elicitur; quid vero eam pariat, incertum est. Plerique erysipelatosam phlogosin ab humore tenui, ca-

Digitized by Google

lido, acri, in vasorum systemate utcumque genito, derivarunt, qui motu febrili secedit, et in cutem deponitur; aut ab humore acri in ipsa cute primitus defixo, qui eam irritet, et inflammet. Hi autem crediderunt, erysipelas oedematodes, aut phlegmonodes oriri, dum hujusmodi humor aut cum sero sanguinis, aut cum ipso sanguine congeratur; scirrhodes, si humor iners cellusas, et vascula oppleat; malignum, et gangraenosum, si is acerrimus sit, venenata vi polleat, et fibras et vascula viribus vitalibus exuat. Plures vero sunt, qui hanc opinionem refutant. Quin horum argumenta exponamus, quamvis non admittimus, semper erysipelas ab humore acri, calidoque nasci, tamen certum videtur, aliquando humorem, aut materiem acrem existere, quae dum majori phlogosi inducendae est impar, illam erysipelatosam in cute producere valet, ut est materies rheumatica, arthritica, venerea, scrophulosa, herpetica. Si post erysipelatis eruptionem interdum non imminuantur febrilia symptomata, imo augean-

Digitized by Google

tur, et perstent, hoc non impedit, quominus materies acris recognoscatur, quae non semper tota in cutem abjicitur; aut talis est, ut universum systema maxime irritet, non secus ac in reliquis exanthematibus saepe obvenit. Alii autem ob colorem luteum bullarum, et vesicularum, oris amaritiem, nauseam, vomitum biliosum, colorem subflavum cum rubore mixtum, qui saepe observatur, cum erysipelas resolvi incipit, ejus caussam esse vitiatam bilem, in animum inducunt. Verum animadvertendum est, alterationem bilis esse frequenter effectum morbi; siquidem erysipelas viscerum chylopoieticorum, praecipue hepatis; functiones perturbat. Praeterea concipi non potest, quomodo vitiosa bilis ad partes ab hepate longinquas feratur, et in exiguo cutis spatio locetur, quin in suis receptaculis, in stomacho, in intestinis morbosos pariat effectus. Color autem subflavus lymphae, quae in vesiculis continetur, non a mixtione bilis, sed potius a calore dependet, ut sanguis sub integumentis diffusus eum-

Digitized by Google

dem colorem acquirit, sicut in ecchymomate, et contusionibus videre est. Nihilominus et a bile, et a saburris gastricis, et a vermibus aliquando ortum habet erysipelas, ut ratio, et experientia suadet. Tum vero nascitur a consensu, qui inter viscera abdominalia et cutim intercedit, ut alia plura gastrica symptomata. Idcirco inflammatio erysipelatosa a variis caussis oriri videtur, nimirum aut ab aliqua materie acri, quae post quam cum humoribus per vasa circulaverit, in cutem deponitur; aut primodum in cute haereat; aut ab irritatione systematis nervosi, vel cutis, vel partium, quae cum cute consensum habent; aut a fortioribus animi pathematibus, potissimum terrore, et ira, quae valide in nervos agunt.

§. 499. Quoad erysipelatis praedisponentes caussas, multa ambiguitas nos tenet. Tamen experientia scimus, temperamentum sanguineum, aut cholericum; provectam aetatem; scorbuticam labem; corporis habitum obesum, aut cachecticum; sexum foemineum; vi-

Digitized by Google

tam sedentariam; autumnum, et ver; qualitatem aëris humidam, et frigidam; intemperantiam; epidemicam constitutionem erysipelati favere. Raro hic morbus ante pubertatem cernitur. Juvenes, et foeminae erysipelati faciei; senes illi extremitatum subjiciuntur. Probabiliter foeminae ob majorem cutis mollitiem, et sensibilitatem; debilem, et irritabilem constitutionem; vitam sedentariam magis, quam homines ad hoc exanthema sunt proclives. Homines autem intemperantes, maxime vino, et liquoribus spirituosis indulgentes magnam ad eumdem morbum concipiendum dispositionem praeseferunt. Temulenti enim, si externam laesionem patiantur, cito in parte laesa erysipelatosa suppetit inflammatio, dum in hominibus sobrie viventibus ab hac eadem caussa potius inflammatio phlegmonosa excitatur. Denique commemoranda est quaedam cutis conditio, ob quam a caussis etsi levissimis saepe erysipelas producitur.

Digitized by Google

§. 500. Caussae excitantes erysipelatis plurimae, certioresque sunt. Aliae in localibus, et externis incitamentis consistunt, ut violentae frictiones, compressiones, punctiones, vulnera, fracturae, morsus insectorum, venenati liquores ab hisce animalculis cuti inspersi, variolae vaccinae insitio, succi vegetabilium rodentes, sinapismata, vesicantia, diuturna ignis, vel solis actio, aër frigidus, et humidus; aliae dum interius agunt in aliqua externa corporis parte erysipelas excitant, ut vehementia animi pathemata, in primis ira, et terror, gastricae sordes, vermes, acrium alimentorum esus, ut mytulorum, hepatis squali catuli, ovulorum piscium, abdominis stases; aliae ponuntur in metastasi alicujus pravae materiae, ut rheumaticae, arthriticae, ichorosae, quae ab ulceribus praepostere sanatis manare solebat; aliae humorem aliquem praeparant, gignunt, extrorsum avocant, et alicubi figunt, ut suppressio menstruorum, haemorrhoidalis fluxus, vitia digestionis, perturbata bilis secretio,

Digitized by Google

abdominis congestiones. Inter hasce caussas quidam contagium ponunt, unde Sauvagesius inter species erysipelas contagiosum adnumerat. Robertus Thomas observasse inquit erysipelas, quod a contagio originem habere videbatur. Id vero rarissime obvenit, et forte nunquam, si loca ubi ponuntur aegrotantes perflabilia, et munda serventur. Propagatio enim morbi, quae in immundis locis contingit, per earumdem caussarum excitantium actionem explicari potest, quin supponamus contagium, ut animadvertit Cooper. Quandoque vero hoc exanthema est epidemicum, a quibusdam aëris conditionibus dependens. Ubi enim aër est impurus, gas acido carbonico, aliisque nocuis fluidis aëriformibus repletus, ut in nosocomiis, navibus, carceribus, epidemice grassatur, et multa symptomatum cernitur varietas, quae ab impuritate aëris proficiscitur.

§. 501. Ne cum phlegmone confundatur erysipelas, utriusque morbi characteres sub oculis ponamus. Erysipelas se-

Digitized by Google

det in cute, ejus tumor est planus, nec circumscriptus, rubor praessione evanescit, dolor nec pulsatilis, nec lancinans. Phlegmone vero telam cellularem, et vasa tenet, ejus tumor in fastigium elevatur, et circumscribitur, rubor vividior, pressione non vanescens, dolor pulsans, et terebrans. Si vero erysipelas ad naturam phlegmones accedat, hujus aliquo modo induit characteres, et sanguis è vena missus crusta phlogistica obducitur. In utroque morbo ab animi pathematibus, aëris qualitatibus, temperamento, aetate aegrotantium, aliisque circumstantibus rebus, aliqua symptomatum varietas oriri solet, quod etiam in reliquis morbis observare contingit.

§. 502. Erythema, utpote morbus levis, non suppuratione, sed ut plurimum spontanea cuticulae exiccatione, et separatione terminatur. Tamen si repellatur, quod interdum obvenit, grave fit. Saepe in parte, quam obsedit, sensibilitatem, et ad ejus reditum proclivitatem relinquit. Nunc est periodicum, nunc habituale,

Digitized by Google

et per totum vitae cursum persistens, ut circa nasum, et genas in vinosis, et gurgitibus, in quibus vascula cutis varicosa fiunt. Ex frequenti erythematis recursu crassescit, et induratur cutis, quae etiam interdum phlyctaenis, et pustulis exasperatur, ex quibus acer ichor manat. Consideratione caussarum praenoscimus, an breve, vel diuturnum futurum sit erythema. Si enim a levibus externis caussis oriatur, cito evanescit; sed si ab internis, quae aegre subigantur, ut viscerum infarctus, aut humorum vitia, diuturnum est, et actioni remediorum resistit. Etiam rebelle est, si a morbosa cutis conditione, aut a caussis continuo persistentibus, ut ab abusu vini, vel liquorum spirituosorum, et alimentorum irritantium nascatur.

§. 503. Ut praevideamus erysipelatis exitum, quae sit ejus species, partes affectae, aegri aetas, constitutio, symptomata morbi, perspiciendum est. Etenim erysipelas simplex, benignum, fixum, accidentale, minus, quam malignum,

Digitized by Google

complicatum, errans, discriminis habet; primarium, secundarium, symptomaticum modo timendum, modo periculo vacat; criticum saepe salutare est. Errans, quod locum mutat, magna cum alea nobiliorem partem interdum invadit. Hoc autem dum per plures dies eodem tenore vagatur, nec perspiratione, nec sudore madescit cutis; sed subito dissipatur, si post levem horrorem exiliat sudor. Si ad alios morbos, praecipue chronicos, ut sunt anasarca, ascites, icterus sive flavus sive niger, erysipelas accedat, saepe in ancipiti versantur aegri, ut si cum abscessibus viscerum, et externarum partium, partium nervosarum vulneribus, et ossium tracturis complicetur. Si criticum est, et salutare, vix in corporis superficie comparet, solvitur morbus, cui supervenit, ut asthma convulsivum, epilepsia, colica convulsiva, etc. Quaecumque autem sit erysipelatis species, nunquam est contemnenda; siquidem propagari potest, et ad partes internas repelli. Animadvertendum est, quod erysipelas

Digitized by Google

ob partes, quas occupat, ob symptomata, quae secundum earum naturam varia prodeunt, ob plus minusve facilem ad propinquas nobiliores partes propagationem; ob diversum exitum maxime differt. Illud capitis, faciei, palpebrarum, colli ob cerebri proximitatem ut pejus habetur. Hoc aliquando in phrenitidem, hydrocephalon acutum, aut mortiferum lethargum degenerat; interdum venas jugulares, et laryngem comprimit, unde expeditus sanguinis a capite reditus impeditur. Nihilominus non raro faciei erysipelas benignum est, et regulare, cujus symptomata, facta eruptione mitescunt, ac deinde exiccatione, et desquamatione epidermidis terminatur. Si mammae erysipelate corripiantur, intumescunt, indurescunt, dolent, et non raro suppurant. Erysipelas crurum in juvenibus, et robustis minus periculosum est, quam illud, quod in senibus, et cacochymicis obvenit, in quibus aegre discutitur, et in suppurationem alea plenam, et gangrenam transit. Senes, cachectici, valetudi-

Digitized by Google

narii, pueri persaepe hoc morbo jugulantur. In infantibus frequentius erysipelas umbilicalem regionem invadit, et deinde per abdomen distenditur; hi autem gravibus symptomatibus oppressi è vita discedunt. In juvenibus, alioquin sanis, ut plurimum feliciter resolvitur, si bene curetur, praesertim si partes nobiles, nervosas, tendinosas, glandulosas non occupet, et febris vehemens non sit. Quoad denique symptomata, si haec levia et regularia sint, non accedat delirium, aut profundus sopor, sensim tumor subsideat, ardor et dolor evanescant, roseus color flavescat, exiccata cuticula in squamas secedat, nil sane timendum est. Ast si ab initio morbi appareant perniciosa signa, febris typhodem indolem ostendat, vires dejiciantur, pulsus debiles et irregulares fiant, color ruber in lividum, et nigrum mutetur, aegri veniunt in vitae discrimen. Ut periculosum est erysipelas, si morbis pravae naturae superveniat; aut malignitatis characteres patefaciat; aut vehementem phlegmonosam indolem in-

Digitized by Google

duat, siquidem saepe aut in suppurationem, aut in gangraenam transgreditur.

§. 504. Varias terminationes habere potest erysipelas, quae sunt resolutio, oedema, hydrops internus, suppuratio, exulceratio, induratio, gangraena, sphacelus. Si perfecta contingat resolutio, desquamatur cuticula; praeter hanc desquamationem capilli decidunt, si morbus sedeat in capite. Interdum partes prius affectae oedematosae fiunt, ut pedes, praesertim in senibus, et impuris corporibus, in quibus oedema pedum difficile abigitur. Quandoque in erysipelatis decursu, aut hoc absoluto, sequitur internus et periculosus hydrops, ut capitis, aut pectoris, ac tum urinae secretio minuitur. Erysipelas phlegmonosum saepe in suppurationem abit, quae licet interdum salutaris fuerit comperta, plerumque tamen praeceps est, maxime si in quibusdam partibus obveniat, ut sunt palpebrae, et genae. Ex hac enim suppuratione nascitur exulceratio, nonnunquam pessima, et insanabilis. Scorbuticum ery-

Digitized by Google

sipelas crebro et prompte in ulcus mali moris degenerat; malignum in gangraenam, et sphacelum, ut color lividus et niger, striae quasi igneae, et vesiculae sero cruento repletae designant.

§. 505. Aliquando metastases, contingunt, quae ut plurimum pernitiales sunt, si erysipelas externa linquat, et interna petat; bonae, si ab internis ad externa feratur, ut Hippocrates aph. 25. sect. VI. inquit = Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum: ab interioribus vero ad exteriora, bonum. = In coacis autem N. 366. = Erysipelas foris quidem extare, utile: intra autem vergere, lethale. Cujus quidem rei indicium est, cum, rubore evanescente, pectus gravatur, et aegrius spiritum trahit aeger. = Eo magis autem erit funesta metastasis, quo nobiliores sunt partes, ad quas morbi materies transfertur. Metastases enim ad viscera capitis, pectoris, abdominis, gravissimos morbos invehunt, ut sunt phrenitis, vertigo, lethargus, linguae paralysis, singultus, asthma, pleu-

Digitized by Google

ritis, gastritis, cardialgia, hepatitis, dysenteria. Et quanquam interdum natura ipsa ad externam corporis superficiem materiem erysipelatodem revocet, aut subigat, ut clarissimorum virorum experientia testatur, tamen hujusmodi transitus semper reformidandi sunt, ut Burserius inst. med. pract. §. 30. ita admonet. = hujusmodi tamen metastasis prudentem medicum terrere, ejusque solertiam excitare debet, ne securum nimis, incautumque inexpectata aegri pernicies demum percellat. = Raro eveniunt metastases in erysipelate benigno, praecipue si opportunae adhibeantur cautelae; frequenter vero in maligno, maxime si recta non fuerit curatio. Lethalia autem symptomata, quae, hoc saeviente, conspiciuntur, ut phrenitis, lethargus, peripneumonia, dysenteria, non a metastasi, sed interdum ab ipsa morbi ferocia ortum habent.

§. 506. Quatenus ad erysipelatis curationem, magnum apud auctores extat dissidium. Qui erysipelas, ut veram inflammationem considerant, phlebotomiam,

Digitized by Google

pluries etiam repetendam, et methodum antiphlogisticam praecipiunt; qui vero hoc ab inflammatione separant, arbitranturque a quodam acri principio pendere, quod sanguinis crasim dissolvat, venae sectionem, ut maxime nocuam condamnant. Hujusmodi autem dissensio mihi locum habere non videtur, si erysipelatis species, varietates, caussae, symptomata, complicationes, et irregularitates distinguantur. Enimvero curatio erythematis ut plurimum in quiete, diaetetico regimine, potionibus diluentibus, et leviter diaphoreticis, aliquo eccoprotico consistit, quamvis pro morbi caussa diversa esse possit. Nam varia esse debent auxilia, si erythema aut ab animi affectibus, aut ab impedito menstruorum, haemorrhoidumque fluxu, aut a pedum, et axillarum sudore cohibito, aut a vini, liquorum spirituosorum, ciborum acrium, et aromaticorum abusu, aut ab acri bile, et gastricis saburris sive in stomacho, sive in intestinis collectis possit oriri. Si vero erysipelas indolem habeat inflamma-

Digitized by Google

toriam, medendi ratio antiphlogistica sit, quae pro ratione violentiae morbi extendi debet. Idcirco si febris sit vehemens; annua constitutio morbis inflammatoriis faveat; pulsus sint duri, magni; aeger juvenis, et robustus; tam abundet sanguis, ut expeditam exanthematis eruptionem praepediat; capitis dolor, sopor, delirium, respiratio difficilis urgeat, instituenda est phlebotomia, et aegrotus locetur ubi purus aër libere perflat, levibusque indusiis tegatur. Dum autem erysipelas est phlegmonodes, si, secata vena, eamdem violentiam servent symptomata, retardetur exanthematis eruptio, missus sanguis crusta phlogistica obducatur, iteranda est venae sectio. Hujusmodi praecepta, ne in mittendo sanguine peccetur, firmiter tenenda sunt. Maxime enim perniciosa est phlebotomia, ubi minus conveniat; siquidem prosternit vires, caussas morbi pejores reddit, et periculosae metastasi ansam praebet. Quapropter fugienda est, si febris et symptomata mitia sint; aeger debilis, languens, aeta-

Digitized by Google

te provectus, et pravo corporis habitu praeditus; pulsus nec duri, nec validi; urinae tenues, aqueae, crudae. Ubi vero ambigua sit, venae sectio, quia aliqua premit violentia morbi, sed jam vires fractae sint, ad partes morbo propinquas admoveantur hirudines, ut retro aures, et circa collum, si faciem erysipelas invadat. Stollius in hoc casu hirudines, cucurbitulas, et scarificationes ad nucham adhibuit. Nonnulli etiam super afflictam partem hirudines, et scarificationes commendant, quorum consilium ob gangraenae timorem, quae ab istis irritationibus consequi potest, non amplectimur.

§. 507. Praemissa sanguinis imminutione, ubi haec oporteat, an emesis, vel purgatio deinde conferat, perpendendum est. Haec quidem remedia idonea sunt, si primae regiones impuritatibus scateant. Ideo si adsit oris amarities, nausea, vomitus biliosus, adhibeatur emeticum, sed leve, ne irritationes augeantur; si vero signa appareant intestinalis saburrae, opportuniora erunt purgantia levia, ut cre-

Digitized by Google

mor tartari multa aqua solutus, pulpa cassiae, tamarindorum, vel horum infusio. Haec autem, etsi levia, ante exanthematis eruptionem tutiora sunt. Etenim postea, nisi urgeat necessitas, non porrigantur; quoniam aut naturae motus, et conatus perturbant, aut ad partes interiores erysipelas arcessunt. Tutior est sub morbi fine purgatio, quae sordium, et morbosae materiae reliquias expellit. Victus esto tenuis, et refrigerans; potiones aqueae, et leviter diaphoreticae, ut decoctio hordei, emulsiones seminum melonum cum nitro, tepida infusio florum sambuci, vel tiliae. Etiam aqua cum succo mali medici saccharo et nitro juvabit, si calor, et circulationis motus vehemens sit. Si vero cum levamine, et remissione symptomatum universalis sudor prosiliat, potionibus egelidis, diapnoicis, et aliquo indusiorum augmento adjuvandus est.

§. 508. Subacta phlogistica diathesi, interdum vesicantia, aliaque revellentia in variis corporis partibus, maxime ex-

Digitized by Google

tremitatibus, applicita, si adhuc caput affectum maneat, locum habent. Remedia localia, quae a pluribus proponuntur, aut inutilia, aut nocua videntur, ut scarificationes, applicationes rerum calidarum, unctuosarum, acidorum, salium aluminosorum, praeparationum saturni. Solum enim curandum est, ut erysipelatosa materies per spiracula cutis exhalet. Attamen si affectae partis magna sit tensio, et ariditas, acerbusque dolor, ea linteolis decoctione malvae, aut florum sambuci, et lacte madidis fovenda est. Quidam sub ipso morbi initio lotiones aquae frigidae laudant; alii applicationes linteorum aqua frigida et aceto rosaceo madentium; alii pulveris rosarum; alii foliorum, aut succorum herbarum refrigerantium; alii subtili linteo partem afflictam tegunt. Quamvis a pluribus recentioribus lotiones aquae frigidae celebrantur, hae ut plurimum dubiae videntur, quoniam ab actione frigoris morbi materies in interiores partes repelli potest.

Digitized by Google

§ 509. Pro maligno erysipelate interna, et externa incitantia, et antiseptica conducunt. Interna potissimum necessaria sunt, ut cortex peruvianus, radix serpentariae, camphora, assa foetida, opium, vinum, etc. Opium vero indiscriminatim dari non debet, ut praecipue animadvertit Robertus Thomas. Utile enim est, si morbus extremitates, aut truncum obsideat; acerbus sit dolor, et irritatio magna: periculosum vero, si ab eo afficiatur facies, etiamsi coma, et delirium desint. Externa autem adhibenda remedia sunt fomentationes aromaticae, et calidae, ut vasorum actio incitetur. Ast si gangraena instet, validiora sunt apponenda, ut camphora, spiritus vini, laudanum liquidum, lintea decotione corticis peruviani cum camphora imbuta, tincturae spirituosae ejusdem corticis, olea essentialia. Hujusmodi vero remedia caute, et gradatim usurpentur, prout scilicet morbi conditiones expostulant. Si hisce remediis, et idoneo victu restaurentur vires, et universale incitamentum restituatur,

Digitized by Google

quamvis superveniat gangraena, sperandum est, hanc non ampliari, morbumque localem evadere. In erysipelate maligno recens natorum, praemissa levi purgatione, quae obtinetur ope syrupi de cichoreo cum rhabarbaro, praesentissimum remedium offert cortex peruvianus ore ingestus, aut aliqua ejus praeparatio, si fieri non potest, ut ab infirmo puerulo ille ingeratur. Omittendi etiam non sunt clysteres ex decoctione ejusdem corticis parati, cui addi potest extractum, ut medicamenti vis augeatur. Quidam in curatione hujusce morbi post Velsii observationes mercurium adhibent.

§. 510. Si erysipelas sit oedematodes, per tonica remedia necesse est tueri vires, ut sunt cortex peruvianus, vinum, jura carnium. Nunquam igitur convenit venae sectio, et quaevis evacuatio prudenter instituatur. Ad promovendam perspirationem antimonialia; ad compescendam irritationem, et dolorem opium juvant. Affecta pars foveatur linteis decoctione florum sambuci, et chamaemeli madenti-

Digitized by Google

bus, cui si nimia adsit laxitas, aliquid spiritus vini, et camphorae adjici potest. Resolventia, frigida, adstringentia, styptica extrinsecus apposita, periculosa sunt, utpote repellendi morbum in interiores partes facultatem habent. Burserius op. cit. §. 40. cum haec conveniant hisce verbis exponit = Quae si unquam opportune adhiberi possunt, tunc solum locum invenient, cum jam erysipelas sua stadia percurrerit, et sola partium atonia, et laxitas remanserit emendanda. = Si vero morbi regressionis compareant indicia, sollicite vesicantia aut extremitatibus, aut dorso, aut aliis partibus, ubi conducibilius videtur; applicanda sunt.

§. 511. Si curandum sit fortuitum, sive accidentale erysipelas, quod a fortuita irritatione cutis producitur, facta scilicet vel a calore, vel frictionibus, vel acribus substantiis, vel insectorum puncturis, etc. oportet vel caussas, si fieri potest removere, vel earum effectus, nempe phlogosin, ut plurimum levem, et solutu facilem, aliaque symptomata temperare,

Digitized by Google

et discutere. Si explicetur febris cum inflammatoriis symptomatibus, methodus antiphlogistica confert, et prope partem affectam hirudinum applicatio. Si morbus sit recens et levissimus, aquam frigidissimam simplicem, aut cum acetate plumbi liquido sufficit admovere. Si vero morbus producatur, fomenta sicca ex herbis resolventibus cum camphora instituantur. Si, provecto morbo, vires dejiciantur, decoctio corticis peruviani praesens est remedium. Denique si dolores premant, et aeger somno orbetur, opium, et ex eo composita utilia sunt.

§. 512. Curatio erysipelatis symptomatici ab illa primarii morbi, a quo proficiscitur, non differt. Idcirco si a gastrica affectione nascatur persaepe emetica expediunt, et purgantia, ut ratio, et expertissimorum virorum testimonium suadet; si ab affectione rheumatica, levia diaphoretica; si a scorbuto, antiscorbutica, et praeter haec Joseph Franchius usum internum infusi radicis acori calami, et baccarum juniperi communis utilem inve-

Digitized by Google

nit. In quocumque vero erysipelate symptomatico aut inutilia, aut damnosa localia remedia cernuntur. Si erysipelas circa vulnera, et ulcera compareat, juxta harum externarum laesionum statum, et naturam curatio dirigenda est.

§. 513. Si repellatur erysipelas, et partes internas, et viscera impetat, periculosissimae inflammationes nascuntur, aut febris, quae prius erat inflammatoria, indolem induit typhoden. Quoniam hujusmodi regressio discriminis plena est, solliciti esse debemus, ne obveniat. Prompte igitur adhibeantur opportuna remedia, si appareant signa, quae hujusce impendentis regressionis suspicionem injiciant, ut si nulla contingat crisis vel per effusum sudorem, vel per levem diarrhoeam, vel per urinam, quae sedimentum puriforme deponat, vel per narium haemorrhagiam, aut menstruorum, et haemorrhoidum fluxum; aut si exanthema absque cutis desquamatione subito evanescat. Interdum vero prodeunt indubia signa, quae de repulso morbo certiores nos fa-

Digitized by Google

ciunt. Hoc in casu praecipue conferunt quae morbum extrorsum revocant, ut venae sectiones, hirudines, cucurbitulae tum siccae, tum scarificatae, vesicantia, epispastica, fotus, balnea, diaphoretica, et nisi haec juvent, ut Burserius admonet, cathartica locum habent. Si enim interdum natura ipsa per diarrhoeam erysipelas resolvat, ut in quibusdam epidemiis compertum est, fieri potest, ut catharticorum ope repulsa erysipelatosa materies expellatur. Alia etiam aliquando expediunt auxilia, prout differt affectionis natura, quae a regresso morbo proficiscitur.

§. 514. Denique si erysipelatis resolutio non obtinetur, variis ejus terminationibus curatio accomodanda est. Si itaque terminatur oedemate, aut aliquo interno hydrope, diuretica mature adhibita utilia sunt; si duritia, interdum haec sponte dissolvitur, sin minus, roborantia, uquae martiales, levia diaphoretica, et diuretica, affectae partis debita exercitatio juvat. Si autem duritia hisce remediis resistat, emplastra emollientia non continuo, sed identidem ad-

Digitized by Google

mota, efficacia expertus sum. Externa irritantia, etsi levia, ut frictiones, resolventia, quae novam inflammationem inducere valent, fugienda sunt. Si suppuratio consequatur, apponantur cataplasmata ex mica panis foliis malvae et lacte, donec, confecto pure, aut sponte rumpatur abscessus, aut aperiatur cultro. Si chronicae exulcerationes relinquantur, aptis remediis detergendae, et exiccandae sunt, et deinde ad perfectam sanationem concurrunt tonica, et antiscorbutica. Si ulcus sit in extremitatibus, fascia expulsans partem circumdans, et hujus partis moderatus motus plerumque confert. Dum autem gangraena sequitur, tam extrinsecus, quam intrinsecus tonicis, et antisepticis remediis, praecipue cortice peruviano, utendum est. Olim circa afflictam partem citissime instituebantur scarificationes, sed modo a plerisque damnantur, quippe quae potius gangraenam augere, quam repellere solent.

§. 115. Qui convalescunt, nunquam exponantur frigori, donec desquamatio sit absoluta. Si squamae, aut crustae spon-

Digitized by Google

te non decedant, sed durae maneant, insulso butyro, aut linteis malvae decoctione imbutis molliendae sunt. Quoniam erysipelas, etsi opportunae adhibeantur cautelae, facile revertitur, et fere periodicum videatur, opus est, ut medicamentis caussis proegumenis oppositis recidiva removeatur. Quocirca antiphlogistica, edulcorantia, antiscorbutica, cathartica, tonica, vesicantia, cauteria interdum prosunt. Indubium est, quin purgantia salina identidem exhibita ut plurimum utilitatem afferant. Si post erysipelas, atoniae caussa, crura afficiantur oedemate, praeter diuretica, et purgantia salina, apta sunt discutientia, et roborantia. Cum oedema ab hac caussa proveniat, a plerisque, praecipue Burserio ocreae ex tela cannabina, aut ex corio canino laudantur, quae nudis cruribus, dum mane detumescunt, accomodatae, relaxatas partes fulciunt, et firmant. Quia vero nonnulli sunt, qui earum usum timent, et indiscriminatim absque ratione rejiciunt, laudatus auctor op. cit. §. 43. inquit = bona eorum venia,

Digitized by Google

quando pedum oedema ex hac tantummodo caussa oritur, nec a malo totius corporis habitu est, quicunque ipsorum metus extiterit, prorsus contemnendus est, nam nullam inde noxam unquam vidimus. = Observandum vero est, quod quamvis oedema ab hac caussa nascatur, si qua adsit aut in capite, aut in pectore, aut in abdomine morbosa dispositio, non sine periculo ocreae aptantur cruribus; nam levi negotio ad partes ita dispositas repellitur humor, ex quo periculosissimi quidem morbi consequerentur.

GENUS SECUNDUM

Scarlatina.

§. 516. Scarlatina est contagiosum exanthema, maculis cutaneis, confluentibus, non uniformibus, coccineis faciem, jugulum, pectus, dorsum, artus, et universum corpus occupantibus distinctum, quarum eruptionem ut plurimum faucium

Digitized by Google

affectio, et febris praegreditur, quae interdum non praecedens illam comitatur, aut sequitur, ac desquamatione cuticulae evanescit, saepe superveniente anasarca. Patet igitur a colore rubro macularum hujusce exanthematis adscitum fuisse nomen. Febris autem remittentium adinstar vespere, aut noctu exacerbatur, matutinis horis se remittit; ac interdum tam notabiles sunt remissiones, ut quotidiana intermittens videatur. Quin veteres scarlatinam, saltem malignam, cognovissent, indubium videtur, tamen hujus morbi absoluta descriptio ante saeculum decimum sextum apud auctores desideratur.

§. 517. Plures a scriptoribus scarlatinae statuuntur divisiones, quarum pleraeque, ni decipior, utilitate carent. Asserit Petrus Franchius, distributionem hujusce exanthematis potius a febre esse repetendam, quae frequentius est inflammatoria, subinde gastrica, subinde nervosa, modo simplex, modo complicata. Praeterea divisit scarlatinam in cynanchicam, cum scilicet cynanche praecipuum

Digitized by Google

sistit symptoma; in cynanchicam gangraenosam, cum febris est nervosa, et ulcera maligna, et gangraenosa fauces invadunt; et quoad externum habitum, in laevigatam, miliformem, pustulosam. Clarche, aliique plures tres scarlatinae statuunt species, nimirum simplicem, anginosam, malignam. Joseph Franchius eam in simplicem, inflammatoriam, gastricam, et typhodem partitur. Verum quia scarlatina non differt, nisi per majorem vel minorem symptomatum violentiam; et quia modo est simplex, modo complicata, modo sporadica, modo epidemica, satius quidem videtur eam in benignam et malignam; simplicem et complicatam; sporadicam et epidemicam dispertiri. Quoniam vero in variis scarlatinae speciebus plus minusve mitia, aut gravia occurrunt symptomata, in ipsa benignitate, aut malignitate morbi plures gradus admittere necesse est. Merito igitur inquit Darwinius, cum omnibus viri gradibus, a punctura muscae ad pestem usque, scarlatinam existere. Sed a mitiori specie incipiamus.

Digitized by Google

§. 518. Scalatina mitior horripilatione levi, aut frigore incohat, cui calor persaepe mitis succedit; aegrotantes sitiunt, leviter tussiunt; dolore capitis, faucium, et aliquo de harum ardore queruntur; molestat quaedam praecordiorum oppressio, unde aliqua nascitur respirandi difficultas. Mox symptomata augentur, nempe capitis dolor, et faucium, quae ut in tonsillari cynanche turgescunt, et rubescunt; proindeque deglutiendi libertas aliquantisper adimitur. Quandoque ante exanthematis efflorescentiam, aut in ipso hujus exordio, alia se produnt foenomena, ut ciborum fastidium, vomitus, haemorrhagia narium, et in pueris epilepticae convulsiones, quae frequenter contingunt. Tertia, aut quarta die febrilia symptomata ampliora fiunt, potissimum capitis dolor; facies aliquantum inflatur, et in ipsa maculae rubrae, non elevatae, prius parvae, et multiformes erumpunt, quae deinde tam confluentes evadunt, ut instar erysipelatis unam ruberrimam maculam referant. Postea hu-

Digitized by Google

jusmodi maculae jugulum, pectus, dorsum, et denique artus invadunt, et adeo ampliantur, ut brevi tota corporis superficies colore ruberrimo sufficiatur. Frequentius in aegrotantibus plethoricis sub hoc eruptionis stadio narium haemorrhagia contingit; manus et digiti tumefiunt, et tam distenduntur, ut libere flecti non possint. Absoluta efflorescentia, febris, et reliqua symptomata mitescunt. Post tres, aut quatuor dies coccineus color macularum languet; detumescit facies; et tandem cuticula cum molesto pruritu desquamatur. Si scarlatina tam mitis non sit, non adeo regularem absolvit cursum. Eruptio enim modo antea, modo postea tertiam diem perficitur, quod majorem morbi gravitatem denotat. In mitiori scarlatina non raro post aliquam diem maculae redeunt, sed eam graviorem non faciunt; siquidem sunt paucae, gravibusque symptomatibus non adjunguntur. Plerumque febris, cum maculae decolorari incipiunt, placido terminatur sudore. Alvus in reliquo morbi decursu adstricta

Digitized by Google

solvitur versus finem, dejicitque liquidas, ac luteas materias. Urina inter initia tenuis, in secundo stadio pauca, et colorata; in tertio nubeculam levem et albidam offert, vel sedimentum deponit.

§ 519. Si scarlatina gravior sit, intensioribus symptomatibus stipatur. Etenim inflammatio gutturis violentior est; insigniter tumefiunt colli glandulae, ac saepe inflammatione afficiuntur; opprimit capitis dolor; interdum accedit delirium; urget sitis, et calor urentissimus; emittitur ab ore, et perspiratione cutis odor peculiaris, fere caseosus; summus est angor, et angustia pectoris, hujusque dolorosae punctiones: interdum praesto sunt nervorum distensiones, vomitus saepe inanis, tendinum subsultus, profundus sopor: interdum respiratio creberrima, pulsus spastici, frequentes, irregulares, duri; maculae albidae mucosae cavum oris, et tonsillas obsident; vox tremula fit, et ita praepeditur loquela, ut aegri per nasum loqui videantur; valde tumescit facies, constringitur gula, tussis vexat convulsi-

Digitized by Google

va, dolens, et difficilis est deglutitio. Crebro haec symptomata in curriculo morbi graviora fiunt. Augetur enim dysphagia, halitus teter ex ore spirat, escharae tonsillarum copiosam profundunt saniem, vox magis rauca, et debilis fit, magisque inhibetur loquela, sudores emittuntur partiales, superveniunt convulsiones, animi deliquia, et praenuntiatur exitium. Ubi vero non sunt symptomata tam lethalia, post peractam eruptionem, et epidermidis desquamationem, cito universum corpus, ut in anasarca, intumescit. Hujusmodi vero inflatio saepe opportuna curandi ratione dissipatur. Calore enim modico, aptisque alimentis eam non raro abire observamus.

§. 520. Dicitur scarlatina maligna, cum tanta est symptomatum gravitas, ut magnum instet periculum. Ex eorum autem majore vel minore intensitate, et irregularitate haec scarlatinae species simplicis, anomalae, et pestilentis obtinuit nomen. Sed anteaquam harum varietatum exponamus signa, observandum est cum

Digitized by Google

omnibus practicis, saepe aliquem dolorem modo fixum, modo errantem, absque evidenti caussa natum, et absque mutatione partis, ubi sedet, praeire, quod etiam in reliquis exanthematibus malignae indolis usuvenit. Quoad scarlatinam malignam simplicem, hac ineunte, plura comparent gravia symptomata, quae per tres, quatuor, aut quinque dies ante eruptionem persistunt, atque intenduntur. Haec sunt febris cum horrore incipiens, quem calor sequitur ingens; summus capitis dolor; sitis inextinguibilis; tussis ferina; inflatio oculorum lucem refugientium; aures sonos etiam leves non perferentes; subinde diarrhoea, aut assiduus, inanisque dejiciendi, et mingendi conatus; subinde vomitus materiae acidae, aut nigrae, vel inutile desiderium vomendi; pulsus nunc parvi, celeres, irregulares, nunc creberrimi, vehementes, nunc naturalibus fere similes; inflammatio, aut dolor faucium; respiratio frequens, anxia, difficilis, quasi peripneumonica; magna gulae constrictio; vox tremula, rauca;

Digitized by Google

coma; delirium; dentes, et labia crusta subnigra obducta. Saepe efflorescentia macularum erysipelatosi coloris prima, aut secunda ad finem properante die, comparet, et per universum corpus diffunditur. Partes exanthemate detentae plusquam in benigna scarlatina tumefiunt, elevanturque. Eruptionis tempore, quae plerumque ad quatuor extenditur dies, febris cum ardore cutis intolerabili, aliaque symptomata vehementiora fiunt, et nonnunquam viscerum periculosissimae inflammationes accedunt. Eveniunt aliquando perniciosae metastases, praecipue cum maculae evanescunt, aut colorem languidiorem inducunt. Tum enim hemiplegia, aut mors sequi saepe solet. Febris, quae continua remittens est, interdum tam exigua videtur, ut minus cautos decipiat, idque malignitatis proprium est.

§. 521. Scarlatina dicitur anomala, si a consueto cursu valde deflectit, ut saepe maligna est. Tanta irregularitas sub quibusdam aëris qualitatibus, aut anni tempestatibus, aut in quibusdam tempe-

Digitized by Google

ramentis, et epidemicis constitutionibus frequenter evenit. Quandoque macularum efflorescentia aut nimis tarda, aut nimis matura est. In variis corporis partibus incipit, et crebro ab extremis ad superiores progreditur. Ut in variolis, facies, manusque intumescunt. Febris, et rubedo ad plures hebdomadas producitur. Aliquando post cuticulae desquamationem remanet rubor, et lenta febris cum diarrhoea, et universali corporis consumptione perseverat.

§. 522. Scarlatina maligna, et epidemica vocatur pestilens, si lethalibus symptomatibus stipetur. Haec symptomata sunt parotides, bubones, cynanche gangraenosa, ulcera sordidissima, quae oris ambitum, linguam, faucesque peredunt, caries ossium maxillarium, partium circa tonsillas, et laryngem nigredo, humoris acris et foetentis è naribus fluxus, saliva odorem teterrimum emittens, maculae pallidae, violaceae, nigrae, lividae, irregularis eruptio, diarrhoea, immodicae haemorrhagiae, urinae pallidae, respira-

Digitized by Google

tio difficilis, vox rauca, debilis, sudores frigidi partiales, delirium, convulsiones, quibus succedit mors.

§. 523. Interdum scarlatina non est simplex, sed complicata. Ad hanc ut plurimum illa pertinere videtur, quae a Petro Franchio miliformis, aut pustulosa vocatur, quia cutis aspredines miliformes, aut pustulas offert. Scarlatina enim saepe aliis exanthematibus, maxime morbillis, pustulisque miliaribus, conjungitur; ac tum multa est macularum, pustularum, et symptomatum varietas, ut in historiis ab auctoribus editis deprehenditur. Interdum maculae scarlatinae pressione albicantes, mox pressae rubrum colorem non deponebant; interdum cutis erat aspera, granulis conspersa, ubique dura, tensa, tumida, ardens, et ipsa tela cellularis valde flagrans; interdum elevabantur pustulae pellucidae, et latice limpidissimo refertae, quarum aliae exiccabantur, aliae disrumpebantur, limpidumque serum effundebant. Aliquando scarlatina cum gastricis sordibus, et vermibus complicatur,

Digitized by Google

cujus symptomata graviora, ut delirium, convulsiones, parotides evacuationibus imminuuntur, et absistunt.

§. 524. Ex descriptione variarum scarlatinae specierum luculentissime patet, praecipua morbi symptomata esse faucium affectionem, febrem, eruptionem cutaneam, et tandem epidermidis desquamationem. Tamen magna symptomatum occurrit varietas. Contagium scarlatinae cum partibus gutturis, ut illud morbillorum cum pectore, peculiarem affinitatem habet, unde ocyus serius fauces afficiuntur. Nihilominus quandoque scarlatina sine faucium affectione, et tussi perspicitur, ut colligitur, ab expositione hujusce morbi quam sect. 6. cap. 2. delineavit Sydenhamius. Id etiam post eum alii testantur; sed hujusmodi observationes rarae sunt. Affectio vero faucium nunc levissima, nunc gravissima cernitur. Rubor enim modo exiguus, modo ingens, modo sine dolore, sed ut plurimum huic conjunctus; tumor etiam modo considerabilis, modo parvus, tamen cum faucium dolore, et

Digitized by Google

deglutitione impedita. Saepe etiam inhibetur loquela; vox nasalis, rauca, stridula editur; affligit tussis; fauces obsidentur aphthis, vel gangraena afficiuntur. Febris, ejusque symptomata pro varia morbi indole differunt. Nunc frigus ad plures horas extenditur; nunc calor exiguus est, nunc maximus. Pulsus saepe frequens, quandoque intermittens, irregularis; urinae vel aqueae et tenues, vel rubrae, vel nigrae, et versus morbi finem sedimentosae, cum etiam plerumque erumpit sudor. Eruptio, quae non semper regularis est, quoad externum habitum variat. Ut plurimum laevis est, sub qua cutis aequalis, et plana videtur; interdum miliformis, sub qua cutis est anserina, granulisque conspersa; interdum pustulosa, sive phlyctaenosa, sive vesicularis, quam pustulae phlyctaenae, vesiculae comitantur, aut paullo post comparent. Vesiculae sero replentur; hinc aut rumpuntur, et effundunt serum, aut, hoc absorpto, desquamatione terminantur. Plerumque scarlatinae rubor pressione vanescit, sed,

Digitized by Google

hac sublata, redit; interdum vero maculae pressae ruborem servant. Nunquam scarlatina universalem tumorem inducit; sed facies, palpebrae, manus intumescunt. Hujusmodi morbus externam corporis superficiem occupat; sed non raro invadit viscera, ut quaedam symptomata, et cadaverum inspectio confirmant. Oculi saepe rubent, et tumidi fiunt, sed lucem non refugiunt, nec lacrymantur. Aliquando datur scarlatinosa febris absque exanthematis efflorescentia, ut testantur auctores. Haec cognoscitur, si, dum scarlatina epidemice regnat, aeger nunquam eam perpessus corripiatur febre cum affectione faucium, et ardore cutis; si morbus post cursum ab illo scarlatinae non dissimilem epidermidis desquamatione terminetur. Hujusce vero febris exempla rarissima sunt. Denique desquamatio persaepe duplex est. Prima sub forma minimarum squamarum die tertia, vel quarta eruptionis, praecipue ad extremitates, contingit; altera sub forma majorum squamarum die septima, octava, aut tardius

Digitized by Google

locum habet. Quaedam etiam desquamatio in ore, faucibus, ipsisque urinis deprehenditur. Aliquando dum desquamatur epidermis, crines, et ungues decidunt. Observant practici, subinde in volis manuum novam epidermidem splendentem, rubram se prodere, ejusque colorem digitorum pressione non sine dolore evanescere.

§. 525. Ne diversae scarlatinae species cum erysipelate, urticaria, exanthemate miliari, morbillis confundantur, cum quibus aliquam similitudinem ostendunt, praecipuae differentiae, quae haec exanthemata distinguunt, adnotandae sunt. Scarlatina universam corporis superficiem tenet; stipatur affectione faucium; nascitur a peculiari contagio; desquamatione finem habet. Erysipelas ut plurimum est partiale; raro, aut fortuito faucium affectioni sociatur; haud nascitur a contagio, cujus vix interdum adest suspicio; diversum exitum, diversasque successiones habere potest. Scarlatina lentius, et sine pruritu efflorescit; ejus maculae sunt con-

Digitized by Google

fluentes, rubrae, constantes, actione frigoris expedite fugientes. Urticaria rapide, et magno pruritu erumpit; non oritur a contagio, et ejus maculae sunt prominentes, discretae, in centro aliquantisper albescentes, fugaces, erraticae, persaepe sub frigore evidentiores, et absque vestigiis evanescentes. Scarlatina miliformis multum cum miliaribus similitudinis offert; sed ab his valde differt. Est enim morbus infantum; primis morbi diebus faciem, et maximam corporis superficiem invadit; raro ante eruptionem manat sudor; desquamatio evidens est. Miliaria in infantibus raro contingunt; eruptionem praecedit specificus sudor; circa collum, et manus evidentia sunt miliaria, quae rarissime in facie, et universa corporis superficie observantur; nulla est desquamatio, aut exigua. Scarlatina secunda morbi die plerumque floret; ejus maculae sunt largae, diffusae, multiformes; dum conjungitur tussi haec est levis, irritativa, sicca; sternutamenta non sunt frequentia; interdum oculi rubent,

Digitized by Google

sed satis tolerant lucem, et non lacrymantur; saepe anasarca consequitur. Morbilli circa quartam morbi diem prodeunt; eorum maculae sunt circulares, prominentes, asperae, raro confluentes, et in cuticula extensa interstitia relinquunt naturalis coloris; urget ferina tussis cum humoris viscidi, et acris excreatu; frequentia sunt sternutamenta; palpebrae, et oculi inflammantur, fundunt lacrymas, refugiuntque lucem.

§. 526. Plerique auctores sub uno eodemque aspectu scarlatinam malignam, et anginam malignam, seu gangraenosam considerant, et non sine ratione. Hujusmodi enim angina ut plurimum contagiosa est, et epidemica, iisdemque fere symptomatibus, ac scarlatina maligna distinguitur; ac secunda, aut tertia morbi die eruptionem macularum rubrarum, multiformium, scarlatinosis similium in facie, collo, et universa corporis superficie producit. Cum autem haec eruptio in reliquis inflammationibus malignis non observetur, merito conjici |potest, inter

Digitized by Google

anginam malignam et scarlatinam malignam similitudinem adesse, et inter hujusmodi anginam, et reliquas inflammationes malignas aliquam peculiarem differentiam intercedere. Auctores hujusce scarlatinosae eruptionis in angina maligna rationem non exhibent; sed nisi admittatur contagiorum identitas, ea ut morbi symptoma habenda est.

§. 527. Scarlatina adnotabilem dispositionem ad anasarcam, et hydropem relinquit. Hanc dispositionem post caeterorum exanthematum cursum raro cernitur. Est igitur scarlatinae propria, nam frequentissime post eam non solum hydrops cellularis, sed etiam ascites, et hydrothorax, ut propria experientia asserit Petrus Franchius; et interdum cerebri dydrops aliarumque partium consequitur, ut auctorum observationes confirmant. Inspectione cadaverum praeter frequentia inflammationis, et gangraenae vestigia in visceribus, caeterisque partibus, nunc ventriculi cerebri sero repleti, nunc pulmones copioso latice seroso natantes, nunc

Digitized by Google

praecordiorum hydrops, nunc partium genitalium oedematosus tumor reperiuntur. Hujusmodi dispositio ad hydropem a perspirationis suppressione ut plurimum dependet, quae frequens est scarlatinae ipsius effectus. Hic autem promptior est, si actio frigoris accedat. Praeterea animadvertendum est, hanc dispositionem persaepe scarlatinam benignam relinquere; raro malignam, quamvis in hac magna, et universalis adsit debilitas. Transactis aliquot diebus, post expletum scarlatinae curriculum comparet anasarca, cujus signa varia sunt, prout febris, quae saepe accenditur, plus minusve ad indolem inflammatoriam vergit, aut major, vel minor est universalis debilitas. Tamen frequentiora symptomata sunt lassitudo, languor, inquietudo, anxietas, inappetentia, vigilia, pulsus frequens, urina pauca, facies pallida, tumida, palpebrae oedematosae, tumor pedum, crurum, genitalium, et universae cutis, aliaque specialia signa hydropem alicujus cavitatis denotantia.

Digitized by Google

§. 528. Caussa proxima scarlatinae est inflammatio erysipelatodes totius cutis, et retis mucosi Malpighiani, quam specificum contagium producit. Homines cujusque aetatis, sed maxime infantes, et juvenes scarlatina aggreditur. Post vigesimum vero vitae annum rarius mares, saepius foeminae, praecipue debiles, et puerperae in hunc morbum incidunt. Quovis anni tempore, sed plerumque circa vernale, et autumnale aequinotium, et initium hyemis hoc pullulat exanthema, quod hisce tempestatibus expedite evadit epidemicum. Major vel minor violentia morbi pendet a vi contagii ipsius, et a quadam corporis dispositione. Etiam aëris vicissitudines, humiditas, repentinum frigus efficiunt, quo facilius, vehementiusque contagionis effectus corpora persentiant. Tanta quidem epidemicarum constitutionum scarlatinae varietas oritur procul dubio ab exposita caussa; sed non parum ad hanc varietatem inducendam anni tempestates, aëris mutationes, ventorum influxus, aliaeque res circumstan-

Digitized by Google

tes concurrunt. Contagium autem scarlatinae, quod est morbi caussa excitans, aut per nares, et os suscipitur; aut contactu illorum, qui vel scarlatina laborant, vel ex ea convalescunt; aut usu vestium, aliarumque rerum infectarum contrahitur. Latentis contagii periodus incerta est; sed non amplius, quam tres, quatuor, aut quinque dies extendi videtur. Ignoramus autem quae sit hujusce contagionis origo; quamvis plures sunt, qui vel ab animalculis, vel ab affectionibus pecudum eam proficisci contendunt. Incertum etiam est, an scarlatina revertatur; nam alii propria experientia bis posse regredi affirmant, alii negant. Etsi vero hujusmodi regressio possibilis sit, rarissima quidem est. Illi enim, qui scarlatinam perpessi sunt, contrahendi contagii capacitatem deperdere videntur.

§. 529. Scarlatinae praesagium a diversis ejus speciebus in primis erui debet. Si enim benigna sit, periculo vacat; quoniam diaetetico regimine, et perspirationis opere intra spatium aliquot die-

Digitized by Google

rum resolvitur. Tamen in convalescentia aliquod affert periculum, praesertim si suscipiatur frigus, et non satis cutanea perspiratio custodiatur. Potest etiam in malignam abire, si quis in ratione medendi perpatretur error. Scarlatina gravior periculosa est, potissimum si perniciosis symptomatibus incohet; ipsa prima, vel secunda, vel quarta die efflorescat; pulsus sint creberrimi, parvi; summus sit cutis ardor, et ariditas; erumpant maculae lividae; halitus foetet; adsint delirium, nervorum turbae, haemorrhagiae, diarrhoea vires exhauriens. Cum symptomata tam gravia desunt, saepe post desquamationem anasarca sequitur. Etiam periculosa est complicata aut cum aliis exanthematibus, aliisve morbis, aut cum dentitione; siquidem saepe exitialia inducit symptomata. Plenissima autem discrimine maligna est, quae modo citius, modo serius ad interitum plerumque ducit. In hac enim maxima virium dejectio; effusae haemorrhagiae; diarrhoea colliquativa; praefocantes tumores glandularum

Digitized by Google

colli; gangraenae, praecipue faucium, laryngis, tracheae; periculosae metastates praesto sunt. Quo autem melius in unaquaque specie morbi eventus praenoscatur, ad foenomena, quae in ejus decursu contingunt, mentem attendere debemus. Interdum enim sub ipsa eruptione scarlatinae benignae narium obvenit haemorrhagia. Haec bona est, morbumque levat. Interdum perturbatur perspiratio cutis, nec satis expelluntur materiae, quae per susceptum frigus regrediuntur; non rite desquamatio absolvitur; metastases ad partes nobiliores eveniunt; tum gravia mala timenda sunt. Si morbi regularitas non desideretur; levia sint symptomata; nullus committatur error; optimo jure sperandum est. Contra si morbus irregulariter procedat; alia erumpant exanthemata; appareant perniciosa signa, ut convulsiones, sopores, deliria, diarrhoea colliquativa, haemorrhagiae profusae, fluxus humoris acris ex naribus, nimis sollicita efflorescentia, dilatatio macularum gangraenosarum in faucibus, respiratio difficilis,

Digitized by Google

anhelosa, virium dejectio ingens, anxietas, oculorum obscuratio, surditas, urina pauca, peticulae, vibices, exanthematis fuga ante consuetum tempus, et absque desquamatione, in maximam injicimur formidinem. Si terminetur morbus desquamatione non belle peracta, saepe febris cum gravibus symptomatibus resurgit, ut sunt laboriosa respiratio; dolores pectoris, abdominis, artuum; delirium; convulsiones; etc. Saepe in externis, et internis partibus efformantur abscessus, et tum febris hectica evadit. Anasarca autem tam frequenter scarlatinam excipiens copiosa urinae, et sudoris excretione plerumque resolvitur; sed interdum mirum in modum destitutis aegrotantium viribus lethalis est.

§. 530. Cum purpura scarlatina levior, benigniorque sit, sine medicamentis, sed apto diaetetico regimine sponte solvitur. Non igitur praepostera medela turbentur naturae motus, qui ad secretionem, et excretionem morbosi formitis modici, et pacati esse debent. Idcirco

Digitized by Google

damnosa foret sanguinis missio, quae motus istos imminuit; calefacentia damnosa, quae eos nimis concitant. Verum temperantem victum, diluentes potiones exhibere, cutaneam perspirationem tueri, satis esto. Ne autem impediatur perspiratio cutis, frigus vitandum est. Praeterea conveniunt omnes, absoluta desquamatione, ad morbi reliquias extrudendas leve purgans expedire. Hujusmodi simplicissima methodus illi Sydenhamii respondet, qui sect. 6. cap. 2. inquit = Cum e contra si plus negotii aegris facessamus, vel lectulis continenter incarcerando, vel cardiacis, aliisque remediis supervacaneis nimis docte, et (ut vulgo videtur) secundum artem supra modum ingestis, morbus statim intenditur, et aeger non raro nulla alia de caussa, quam nimia medici diligentia ad plures migrat. = Magis remedia accomoda videntur, si purpura scarlatina gravior sit. Etenim quamvis saepe potus diluentes, subacidi, et blande diaphoretici sufficiant; tamen aliquando sanguinis missio, eva-

Digitized by Google

cuantia lenia, clysteres antiphlogistici, pediluvia, gargarismata in usum vocari debent. Et quamquam Sydenhamius, aliique sanguinis missioni, et purgationi etiam levi opponantur; nihilominus in quibusdam casibus utriusque utilitatem experientia confirmat. Enimvero a venae sectione exanthematis retrocessus timendus non est, dummodo aeger plethoricus sit, febris vehemens, et aliquod grave capitis, pectoris, et abdominis urgeat symptoma. Quin hujus ope eruptio exanthematis maturior, liberiorque fit, si nimius compescatur sanguinis motus, et nimia ejus quantitas detrahatur. Tunc solum periculosa est sanguinis missio, cum in debili aegroto, et languentibus naturae motibus instituatur; nam vires imminutae ad expellendum morbi fomitem non amplius valent. Sic a lenibus purgantibus, et clysteribus, anteaquam exanthema in cute floreat, nihil timendum est, dummodo gastricarum saburrarum signa non desint. Imo si hae intus relinquerentur, morbus pejor fieret, multaque mala con-

Digitized by Google

sequerentur, ut Burserius §. 67. propriis observationibus ita comprobat. = Ego equidem, ubi gastrica saburra sui signa profert, nunquam eam cito subducere dubito, quod viderim saepe, relictam intus vel majorem labem sanguini impertire, vel spasmos, et dolores in abdomine excitare, quibus morbidi fomitis secretio retardatur, vel jam secreti regressus promovetur. = Quoniam vero interest cutaneam perspirationem custodire, actioni liberioris aëris nunquam exponantur aegri, qui potiones calidas, leviterque diaphoreticas haurire non cessent. Et ut removeantur mala, quae a retentis morbi reliquiis proficisci solent, etiam post expletam cutis desquamationem liberi aëris actio fugienda est; ideoque convalescentes per aliquot dies in cubiculo morentur. Nescio igitur, an in curatione scarlatinae, tam refrigerationi adversae, affusiones, sive lotiones frigidae conferant, quas primus Currie, deinde Mosman, Reid, Thomas, aliique plures celebrarunt. Has sub magno cutis calore,

Digitized by Google

et siccitate, inter primam et quintam morbi diem commendant. Facta autem affusione, cum calor redeat, eam repetunt etiam decies, et duodecies in die. Insuper etiam aquae frigidae potiones praescribebat Currie. Cum vero quidquid tanti viri de hujusce methodi utilitate asseverant, negare non ausim, dici mihi videtur debere, scarlatinam sub quibusdam circumstantibus rebus, et in quibusdam epidemiis frigidas affusiones, et potiones perferre. Quoniam in hoc morbo saepe cynanche molestat, pro adultis apta sunt gargarismata emollientia ex decoctione herbae malvae rotundifoliae, aut radicis althaeae cum tertia parte lactis. Pro infantibus autem hujusmodi decoctio cum lacte in fauces injici potest. Cataplasma etiam ex mica panis et lacte super partem colli adversam utiliter ponitur. Gargarisma exstimulans ex infuso capsici annui, quod nonnulli proponunt, an unquam conveniat, ignoro. Si aphthae cavum oris, et excoriationes gingivas foedent, ad colluendum juvat decoctio hor-

Digitized by Google

dei cum melle rosaceo, cui etiam addi possunt aliquot guttae acidi sulphurici, dummodo hoc non irritet. Subacto inflammatorio impetu, si pituita tenax circa fauces, et pulmones suffocationem minitetur, quidam practici emeticum praecipiunt, quod in hoc casu multum mihi videtur expedire.

§. 531. Scarlatina maligna aliquando vel sanguinis missionem, vel leve purgans, vel emeticum inter initia exposcit; sed de horum remediorum usu oppositae apud auctores extant opiniones. Alii, ut Grantius, venae sectionem laudant; alii, ut Chomel, Kreyssig, eam rejiciunt. Verum quia venae sectio plerumque nocet, non est nisi in aliquibus casibus praescribenda; scilicet dum febris est violenta, calor urens, urgeat capitis dolor, et alicujus internae inflammationis periculum immineat. Idem de purgantibus, et emeticis dicendum est. Haec enim porrigi non debent, nisi gastricarum sordium adsint indicia. Caeterum primis morbi diebus antiphlogistica methodus, ut in graviori

Digitized by Google

scarlatina benigna, postulatur. Si inter initia, dum primae regiones sordescunt, et aegri vires validae sunt, modice solvatur alvus, linquenda; sed si immodice, viresque fatiscant, levioribus adstringentibus, et roborantibus, ut decocto albo, aut illo corticis peruviani cum aliquot laudani guttis comprimenda est. Dum vero morbus indolem typhodem proferat, idonea sunt cardiaca, levia excitantia, et perspirationi faventia, ut liquor acetatis ammoniae, succinas ammoniae empyreumaticus, vinum antimoniale Huxami, camphora, vinum, etc. Verum provectiori in morbo, praecipue si cynanche gangraenosa accedat, alia efficaciora auxilia eligenda sunt, inter quae cortex peruvianus eminet, quidquid contra ejus usum nonnulli blaterent. Ut enim hoc remedium nequiter succedit, cum febris sit vehemens, et calor urens; sic feliciter, cum vires deficiant, faucesque gangraena afficiantur. Ubi igitur expedit, dari solet, aut sub forma pulveris, aut extracti, aut valentioris decocti; aut ex hoc enemata injiciuntur, praesertim si ob

Digitized by Google

aliquam rationem corticis pulvis, vel extractum sumi non possit. Acida etiam mineralia praestant; sed quia saepissime summa premit virium debilitas, cum roborantibus, et aromaticis conjungenda sunt. Inquit Joseph Franchius, plerumque tinctura aromatica sulphurea decocto cinchonae nupta usum fuisse. Si aeger sit delirans, pediluvia, et epispastica utilia sunt. Si pulsus sit debilis, sopor profundus; si retrocessus morbi instet, aut jam evenerit, sollicite vesicantia apponantur. Si adsit faucium inflammatio, quae etiam exulcerentur, calida et irritantia fugienda sunt; sed solum emollientia usurpentur, et ex his componantur gargarismata, ut ex decoctione malvae, althaeae, hordei, caricarum pinguium cum lacte, cui ad detergenda ulcera mel rosaceum, syrupus mororum addi potest; aut aliquid ex his leniter in fauces infundatur. Quidam vesicans, aut cataplasma ex sinapi circa collum apponunt; sed si magna torqueat irritatio, et dolor, emollientes fotus, aut cataplasmata ex malva, mi-

Digitized by Google

capanis, et lacte magis certe conveniunt. Si autem gangraena fauces invadat, gargarismata antiseptica conducibilia judicantur, ut ex infuso rosarum rubrarum, acido muriatico diluto, et melle rosaceo; aut ex decocto quercus roboris; aut ex illo radicis contrayervae; aut ex aqua cum simplici alcohol; aut ex infuso florum salviae, tinctura myrrhae, et melle rosaceo; aut ex decocto corticis peruviani, acido muriatico diluto, et melle rosarum, quod Joseph Franchius caeteris anteponit. Loca vero gangraena afflicta melle rosarum cum acido muriatico, aut tinctura myrrhae illinienda, donec separetur eschara; et tum emollientia iterum adhibeantur. Scarificationes in istis locis alea plenae mihi videntur, ut pluribus infaustis exemplis possem confirmare; quamvis nonnulli auctores aliquando feliciter institutas fuisse testantur. Victus sit tenuis, reficiens; mundities summa; suffitiones in cubiculo ex acido nitrico secundum recentiores fiant. Cum morbus ad finem pervenerit, purgatio levis, ut

Digitized by Google

in scarlatina benigna, non omittatur, non raro repetenda.

§. 532. Si scarlatina aut cum aliis exanthematibus, aut cum gastricis saburris, et vermibus, aut cum viscerum inflammationibus, aut cum dentitione complicetur, curatio variari debet. Observandum vero est, quod in infantibus cum dentitione, in adultis cum affectionibus gastricis frequentius scarlatina conjungitur. Si igitur hoc exanthema sub dentitione evolvatur, opportunis auxiliis mitiganda sunt hujus symptomata, ut gingivarum ardor, et dolor, tormina ventris, depravatae digestiones, convulsivi motus. In complicatione autem gastrica plures laudant emeticum; sed hoc uti tantum possumus sub invasionis stadio, cum nulla adsit internae inflammationis suspicio, et cum in ventriculo extent inquinamenta; et vomendi desiderium cum anxietate, et inquietudine agitet. Verum lenia purgantia semper tutiora sunt. Ubi autem indubia vermium signa deprehendantur, praeter mitia purgantia, praetermittenda non sunt anthel-

Digitized by Google

minthica, inter quae plerique muriatem hydrargyri praeponunt.

§. 532. Quandoque, ut supra diximus, aut statim, aut paullo post, aut circa vigesimam diem, aut tardius, non levia mala scarlatinam excipiunt, ut articulationum dolores, glandularum lymphaticarum tumores, convulsiones, oedema calidum, anasarca. Oedema calidum est tumor durus, renitens totius corporis, aut alicujus partis, qui prementis digiti vestigia non retinet, et calore urenti, febre, pulsu duro, celeri, respirandi difficultate, oris siccitate, siti, praeparca urina stipatur. Anasarca est tumor mollis, albus, aqueus, frigidus sine febre, cum imminuta aut suppressa urinae secretione, virium debilitate, inappetentia, pulsu debili. Etiam dolores artuum, et glandularum tumores oppositam naturam aperiunt, nimirum modo calidam, modo frigidam. Idcirco patet, quod horum malorum medela diversa esse debet. Expedit pro calido oedemate antiphlogistica methodus, ut sanguinis missiones, eccoprotica, potiones su-

Digitized by Google

bacidae nitratae. Expediunt pro anasarca quae colluviem serosam subtrahunt, ut purgantia salina, et diuretica, inter quae sunt deooctiones radicum aperientium, scilla, digitalis purpurea, carbonas potassae, etc. Saepe utilia sunt vesicantia; et dum ingens est solidorum laxitas, caeteris auxiliis cortex peruvianus addendus est. Item pro artuum doloribus, et glandularum tumoribus calidis cum febre, antiphlogistica remedia; pro frigidis et sine febre, cathartica, et diuretica adhibeantur. Si diuturni sint glandularum tumores, nec in suppurationem vergant, emollientia, leniterque resolventia aptiora sunt. Victus sit modicus, et morbo accomodus; aeger in blando calore decumbat, quia aër aut nimis frigidus, aut nimis calidus nocumento est; et nisi perfectam obtinuerit sanationem, domo non exeat.

Digitized by Google

GENUS TERTIUM

Urticaria.

§. 534. Urticaria est exanthema plerumque febrile, a maculis, vel tuberculis prurientibus, pallido rubris, erraticis, fugacibus, diversae figurae, et magnitudinis distinctum. Sibi a papulis adsciscit nomen, quae ob magnitudinem, et pruritum illis ab urticarum punctura productis simillimae sunt. Quoniam urticaria variam formam profert, in maculosam, papulosam, et tuberculosam dividitur. Hujusmodi divisio esseram auctorum comprehendit, in qua maculae figuram, et magnitudinem foliorum portulacae referentes, valde dilatantur. Quidam contendunt, constanter esseram omnino expertem esse pruriginis, ideoque ab expositis urticariae speciebus differre, in quibus plus minusve maculae, vel tubercula pruriunt. Quoad maculas esserae inquit Sauvagesius = Differunt a purpura urticata ex eo quod mul-

Digitized by Google

to latiores sunt, nec ullatenus pruriginosae = Id vero non ab omnibus confirmatur. Inter varietates, sub quibus urticaria se nobis offert, sex praecipue adnotavit Willan, quarum prima est urticaria febrilis; secunda evanida; tertia perstans; quarta conferta; quinta subcutanea; sexta tuberosa. Cum vero urticaria in decursu plurimornm morborum non raro efflorescat, hinc in primariam, et symptomaticam nascitur divisio.

§. 535. Urticaria maculosa appellatur, cujus maculae pallido-rubrae, latae, palmae magnitudinem adaequantes, ad circumferentiam aliquantisper prominentes, in centro depressae, et albescentes sunt. Dicitur papulosa, si ab ipsis maculis papulae, vel phlyctaenae erumpant. Denique tuberculosa in majoribus protuberantiis, irregularibus, et obscure rubris ad basim, et in centro pallido-rubris consistit. Hujusmodi species quoad symptomata parum discrepant. Videamus modo quae sint varietates a Willan expositae, utpote observatu frequentiores. Urticaria febri-

Digitized by Google

lis illa dicitur, in qua exanthematis eruptionem febris, et alia symptomata praecedunt, ut dolor capitis, nausea, quidam debilitatis sensus, anxietas, sopor, et interdum animi deliquium; deinde succedit macularum efflorescentia cum aliis symptomatibus, quae praecipue sunt calor ingens, assiduus pruritus, vigiliae, etc. Urticaria evanida consistit in pustulis sine febre, modo rotundis, modo longitudinalibus, quae comparent, et fugiunt. Hujusmodi affectio nunc per aliquot dies, nunc per aliquot menses, nunc per aliquot annos persistit. Hanc autem observavi per totum fere vitae cursum in dilectissima matre mea, quae a scalpurigine etiam levissima pustulis plerumque rotundis, prurientibus, levi rubore ad basim circumdatis, in toto corpore, sed praecipue in extremitatibus superioribus laborabat. Hae autem pustulae post aliquot horas evanescebant, sed facile per quamvis fricationem revertebantur. Urticaria perstans est illa, cujus pustulae per duas, tres hebdomadas durae, et elevatae immorantur, et

Digitized by Google

excalefacto corpore pruriunt. Hae autem paullatim dissipantur, sed per aliquem diem maculam subrubram relinquunt. Urticaria conferta nuncupatur, cum pustulae numerosae sint, et fere uniantur, unde formas irregulares assumunt. Interdum inflammantur ad basim, et vehementer scalpendi desiderium inducunt. Urticaria subcutanea dicitur, cujus eruptio absconditur, cujusque character est sub ipsa textura cutis intolerabilis pruritus. Urticaria tuberosa ea est, in qua rapide pustulae crescunt, dilatanturque. Hae vero sunt prurientes, tumores efformant, qui motus impediunt, et dolores pariunt. Hi tumores ut inquit Petrus Franchius epit. §. 399. = universam corporis, sed femorum imprimis, superficiem occupare cernuntur = Expositis hisce varietatibus, quia, ut supra diximus, urticariae species parum quoad symptomata diferunt, cum ipsa primaria sit, hujusmodi symptomata perpendamus.

§. 536. Saepe prodroma signa urticariam primariam praecedunt, ut inappeten-

Digitized by Google

tia, spontanea lassitudo, aliqua capitis molestia, vertigo, pectoris angustia, tussicula, lipothymia. Ut plurimum exanthematis eruptionem praecurrit febris, quae aliquo frigore per universum corpus incipit. Sequitur levis calor, leviaque symptomata, ut sitis, capitis dolor, praecordiorum anxietas, et oppressio. Post paucas horas, aut post aliquem diem cum majore, vel minore pruritu prorumpit exanthema, quod citissime diffunditur. Facta eruptione, febris, et symptomata minuuntur, et absistunt. Exanthema autem per totam corporis superficiem, sed praesertim in facie, collo, brachiis efflorescit. Aliquando extremitates inferiores, aut aliam partem occupat, et persaepe maculae, aut tubercula discreta apparent. Interdum papulae sub cute latent, et intolerabilem pruriginem inferunt, quae fricatione, etsi levissima, prompte in conspectum veniunt. Raro una est exanthematis eruptio, sed saepissime infra diei spatium, remissa febre, papulae evanescunt, et circa vesperam majore prurigi-

Digitized by Google

ne, et ardore cum febre redeunt, iterumque dum diescit desiturae. Crebro per plures vices papulae abeunt, et remeant, donec manat levis sudor; et intra tres aut quatuor dies penitus resolvitur morbus. Ita igitur evanescit urticaria, quin vestigium relinquat; quamvis nonnulli dicunt, ab evanescentibus papulis squamas subtilissimas secedi. Id vero interdum evenit, sed raro, ut plerique scriptores affirmant. Proprium autem est hujusce exanthematis, quod sub frigore evidentius fit. Si igitur papulae calore lecti, et perspirationis ope evanuisse videntur, denuo, si actioni liberioris aëris exponantur aegroti, conspicuae fiunt.

§. 537. Caussa urticariae obscura quidem est. Quaecunque vero sit ejus species, et varietas, ut plurimum a compressa perspiratione cutis plerisque oriri videtur, et aliquando ab abusu vini, et liquorum spirituosorum; a gastricis inquinamentis; ab esu quorumdam alimentorum, ut astacorum, mytilorum, echinorum, ostrearum, cancrorum fluviatilium,

Digitized by Google

carnis suillae, aliquorum piscium, et carnium semicorruptarum, aut muria nimis conditarum; ab animi affectibus, imprimis terrore, et ira; a quibusdam pharmacis, aut venenis, ut referunt auctores. Quandoque vero urticaria sine evidenti caussa nascitur. Nunquam est contagiosa, rarissime epidemica. Quovis anni tempore praesertim juvenes, et foeminas adoritur.

§. 538. Sydenhamius ut erysipelatis speciem consideravit urticariam; ad purpuram scarlatinam hanc retulit Sauvagesius; hanc autem a miliari rubro solum magnitudine papularum differre existimavit Schlactius. Ab hisce vero exanthematibus tam ob naturam, quam ob peculiares characteres admodum urticaria discrepat. Illa papulosa aliquo modo miliaribus rubris similis est; sed si utrorumque exanthematum examinentur characteres, nullo negotio deprehenditur discrimen, ut Joseph Franchius adnotat. Miliaria rubra cuti colore non mutatae insident; eorum eruptio arcetur a frigore; aut nullum, aut modicum inducunt pruritum; per re-

Digitized by Google

petita conamina eruptio contingit. Urticariae autem papulosae efflorescentia ut plurimum promovetur a frigore; pruritus non deest; eruptio celerrima; papulae maculis prominentibus insident. Cavendum etiam est, ne confundatur urticaria, quae a morbosa universali conditione nascitur, cum illis maculis, et tuberculis, vel ab urtica dioica, vel ab aliis vegetabilibus, vel ab insectis productis, quae totidem sistunt vitia cutis localia.

§. 539. Frequentissime urticaria est plurium morborum symptoma. Occurrit enim in febribus intermittentibus tam benignis, quam perniciosis, rheumaticis, gastricis, biliosis, bilioso-inflammatoriis, typhodibus; in aliis exanthematibus; in ictero. Saepius vero in accessionibus febris tertianae intermittentis sive simplicis, sive duplicis versus finem frigoris, aut incipiente calore efflorescit, et cum accessionibus ipsis utplurimum vanescit. Aliquando sub ipsa apyrexia perstat, ut Joseph Franchius observavit. Quia vero in febribus rheumaticis etiam frequenter

Digitized by Google

comparet, credidit laudatus auctor, urticariam non esse, nisi febrem rheumaticam exanthemate urticato stipatam. Quamquam vero hujusmodi exanthema ab eadem caussa, ac illa febris rheumaticae, ut plurimum oriri videatur, nihilominus ab aliis caussis, ut innuimus, nasci potest, et habet proprios, et constantes characteres, per quos ab hac febre distat. Si in febribus gastricis proditura sit urticaria, praeter alia gastrica symptomata, intolerabilem cutis prurigi-nem aeger patitur, et paullo post aut in facie, aut in jugulo, aut in dorso, aut in brachiis urticaria, plerumque tuberculosa, prorumpit, spatio unius, vel alterius diei effugiens. Si autem hoc exanthema febres typhodes comitatur, indolem malignam profert, ut auctorum experientia confirmatur.

§. 540. Urticaria omnium est mitissimum exanthema, siquidem intra aliquot dies vel sudore, ved sedimentosa urina, vel haemorrhagia narium terminari solet. Tamen aliquando non sine discrimine ad

Digitized by Google

interiora recedit. Ex ejus enim metastasi gravissimi morbi consequi possunt, ut ophthalmiae, capitis dolores, tussis; vomitus, dyspepsia, praecordiorum anxietates, lipothymiae, etc. Hujusmodi vero morbi evanescunt, si exanthema ab interioribus ad corporis superficiem revertatur. Praeterea dicitur, in aliquibus casibus urticaria fuisse lethalis; sed id tam rarum est, ut fere non inveniantur auctores, a quibus confirmetur.

§. 541. Quoniam urticaria tam benignus sit morbus, aut medicamentis non eget, ant simplicibus, ut sunt potiones diluentes, leniterque diaphoreticae. Si autem non desint primarum viarum cacochyliae indicia, locum habet purgatio, sed levissima, ne perturbetur naturae opus, quae per spiracula cutis materiem morbi expellere nititur. Si vero aegri temperies plethorica sit, febris violenta, convenit venae sectio, quae secus noxia foret. Insuper cum mordacissimus pruritus aut per totam corporis superficiem aut in aliqua parte magis affecta molestet, nil, quam

Digitized by Google

balnea tepida, vel universalia, vel partialia, ad illum temperandum, promovendamque perspirationem, conducibilius est. Aeger tranquille commoretur in lecto, et largiorem potum diapnoicum non linquat. Absoluto morbo, mitis purgatio confert. Si vero urticaria symptomatica sit, primarii morbi curationem immutare non facit. Si igitur aut febrium intermittentium, aut gastricarum, aut typhodum sit symptoma, eamdem medelam hisce febribus accomodam exposcit.

GENUS QUARTUM

Peticulae

§. 542. Quamvis plures doctissimi auctores, etiam inter recentiores, peticulas plurimarum aegritudinum symptoma dijudicent, nihilo tamen minus aliorum expertissimorum auctoritati, nostrisque observationibus confisi, quin ipsae morbum primarium sistant, a peculiari con-

Digitized by Google

tagio genitum, non dubitamus. Hunc autem veteribus ignotum fuisse deprehenditur, si eorum scripta perlegantur. Loquitur Hippocrates lib. 2. de morb. epidem. sect. 3. de exanthemate, quod ad miliare evidentissime spectat. Credidit Lindius, aliique posteriores, ab Aetio in febribus malignis observatas fuisse peticulas, scilicet maculas laeves, planas, supra cutim non prominentes, et pulicum morsibus similes. Alii vero ambigunt, an in auctoris textu pulicum, aut culicum morsibus legendum sit. Ut se res habeat petechialis morbus ante finem decimi quarti seculi, aut initium sequentis erat Italiae alienus, cum ex orientalibus plagis, et imprimis ex insulis maris Aegei ad nos transvectus fuit. Cum inde de peticularum primariarum existentia habita fuit quaestio, nostrum esset munus rationum tradere momenta, quibus ad eas interdum primarias existimandas adducimur, nisi id doctissimus Burserius vol. 4. suarum instit. ordine, et perspicuitate fecisset.

Digitized by Google

Quocirca ad hujus exanthematis imaginem offerendam transeamus.

§. 543. Peticulae primariae constituunt exanthema febrile, quod in exiguis maculis per cutem dispersis, plerumque puniceis, fuscis, quandoque lividis, violaceis, nigricantibus, persaepe rotundis, nunc punctula, nunc pulicum morsus referentibus, planis, pruritu carentibus, et nunquam super cutem prominentibus consistit. Etenim rarissima apud auctores inveniuntur exempla peticularum aliquantisper exstantium, quae in quibusdam epidemicis constitutionibus a Roboreto, Hasenorhlio, Sagario fuerunt observatae. Horum autem observationes non adeo certae mihi videntur, ut minime dubitemus, an illae peticulae ad veras, aut ad exanthemata diversi generis spectarent. Si enim earum prominentia supra cutim, et purpureus color perpendatur, multa quidem cum morbillis similitudo deprehenditur.

§. 544. Dividendae imprimis sunt peticulae in primarias, symptomaticas, et criticas. Primariae specialem morbum ex-

Digitized by Google

hibent, et ut caetera primaria exanthemata praefinita percurrunt stadia: symptomaticae febribus aut continuis, aut intermittentibus, aliisque morbis, ut alia symptomata, superveniunt: criticae versus febrium acutarum finem cum omnium symptomatum levamine prodeunt. Dividuntur praeterea in benignas, et malignas; regulares, et anomalas; sporadicas, endemicas, et epidemicas; simplices, et complicatas. Aliquando enim solae, et purae; aliquando cum aliis morbis mixtae comparent. Si cum aliis morbis, caeterisque exanthematibus primariis complicentur, inter initia se offerunt, et per sua stadia cursum explent; ideoque cum peticulis symptomaticis confundi non debent, quae in decursu morborum manifestantur, et quibus certa stadia percurrenda non sunt. Sed jure animadvertit Burserius, quod licet peticulae interdum complicentur cum peste, frequentius in hac maculae ad ecchymoses, et gangraenulas pertinent, quae totidem sunt morbi symptomata. Eadem animadversio fa-

Digitized by Google

cienda est de peticulis, quae cum malignis variolis consociantur. Saepe enim sunt potius symptomaticae, diffusae, ecchymoses referentes, summam morbi malignitatem denotantes.

§. 545. Arrepto peticularum contagio, priusquam explicetur morbus, ut plurimum per aliquot dies quibusdam symptomatibus aegrotaturi exercentur, quae ut morbi praenuncia haberi debent. Hujusmodi sunt lassitudo aut totius corporis, aut lumborum, et dorsi; tristitia; capitis gravitas, aut obtusus dolor; lumborum, et ossium cruciatus, modo fixi, modo vagi; nausea; ad vomitum propensio; ardor faucium, oculorum; genarum rubor; agrypnia; anxietas circa praecordia; horrores circa lumbos; magna interdum virium dejectio; animi deliquia. Qui peticulas primarias negant, inquiunt, haec prodroma signa graviores febres praenunciare. Hi vero animadvertere deberent, quod hujusmodi signa saepe in morbis diversi generis esse similia, ut evenit in peticulis, et in gravioribus febribus, et

Digitized by Google

malignae indolis, quae etiam a contagio nascuntur, quod in nervorum systema praesertim agit.

§ 546. Posteaquam a praecurrentibus foenomenis plus minusve perturbata fuerit sanitas, accedit febris horrore plerumque orsa, cui succedit calor, persaepe tactui levis, molestus aegrotantibus. Frequentius primis morbi diebus, interdum usque ad ejus inclinationem horror, et calor alternant. Si considerentur epidemiarum historiae, sub vario aspectu, varioque typo febrem se prodere colligitur. Subinde enim sub initio est vehemens, ejusque symptomata gravia; subinde miti calore, et exigua celeritate pulsus levitatem simulat. Verum quaedam adducit symptomata, ut universalem lassitudinem mentis aberrationem, quibus suam indolem patefacit. Typus autem etsi varius, dummodo morbus non complicetur, utplurimum febrem continuam remittentem quotidianam, aut tritaeophyam offert, cujus accessiones saepe horroribus, remissiones sudoribus distinguuntur. Sed hu-

Digitized by Google

jusmodi accessionum, et remissionum ordo, nec constans est, nec semper perspicuus. Illae enim aliquando ordinatae sunt in initio, aliquando in progressu; aliquando apertae prius, deinde obscurae fiunt. Quoniam vero contingere potest, quod accessiones quodam ordine horroribus incipiant, et sudoribus terminentur remissiones, cavendum est, ne ab hac intermittentis larva decipiamur. Hinc ad omnia attendendum est. Ubi enim peticulae epidemicae regnant; ubi prodeant exposita praenuncia signa, et deinde aggrediatur febris, quae, licet accessionibus, et remissionibus distincta, continua sit; ubi sudores non solum in declinatione accessionum, sed etiam alio tempore profusi, inutiles, et debilitantes erumpant; ubi urinae, quamvis turbidae, aut subjugales, tamen lateritiae non sint, quaevis evanescit ambiguitas. Summa varietas, quam saepe febris peticularum exhibet, vel ab aliqua complicatione, vel ab epidemiae ingenio, vel ab anni tempestatibus, vel a repentinis aëris vicissitudini-

Digitized by Google

bus, vel ab aegrotanti temperie proficiscitur.

§. 547. Dum explicatur febris, omnia prodroma signa graviora fiunt, hisque alia adnectuntur. Augetur ideo lassitudo, praecordiorum gravitas, dolores capitis, colli, lumborum, artuum, nausea, vigilia, sopor. Si violenta sit febris, mens aliquantum aberrat; facies rubescere, et tumescere incipit; tinniunt aures; respiratio inaequalis, difficilis, suspiriosa; oculi dolent, rubent, et lucem non ferunt; si ab initio febris gravissima appareat, color faciei est teter, et fere plumbeus; summa est debilitas; anima foetet; sudores, et excrementa tetrum odorem emittunt; et alia symptomata inter se opposita prodeunt, ut lingua humida, et multa sitis; vel lingua arida, et nulla sitis; calor internus urens, externus mitis, vixque sensibilis. Sub tanta febris varietate etiam pulsus diversi se proferunt, licet ut plurimum debiles, celeres, molles, inaequales sint. Validiores, et duri solum reperiuntur, ubi adsit inflammatoria dia-

Digitized by Google

thesis, et aegri temperies plethorica sit, et robusta. Plerumque in initio accessionum humiles sunt, et celeres; in augmento elatiores. Interdum durities pulsus cito desinit; interdum usque ad morbi finem persistit. Quandoque, detracto sanguine, pulsus prius duri statim evadunt debiles, tremuli, inaequales. Si sanguis mittatur, hic etiam varius est. Nam modo a naturali colore, et crasi non recedit; modo crassamento; modo luteo, et viridi sero abundat; modo est nigricans, tenuis, solutus, et cito corrumpitur; modo crassamentum est luxum, copioso sero innatans, et flava pellicula obductum; modo est firmum, et crusta phlogistica tectum. Alvus nunc adstricta, nunc soluta, nunc naturalem, et consuetum ordinem servat. Alia autem symptomata, a diversis complicationibus nascuntur. Ubi complicetur gastrica diathesis, praeter signa hujusce propria observantur dejectiones foetidae, acres, flavae, nigricantes, saepe cum vermibus mixtae. Ubi adest inflammatoria diathesis praeter pulsus du-

Digitized by Google

ros, vehementem febrem, sanguinem phlogisticum, saepe gravis affligit capitis dolor, aut pectoris cum tussi, et aliquando sputo sanguineo. Cavendum vero est, ne cum istis doloribus illi confundantur, qui non ab aliqua inflammatione, sed a spasmis proveniunt. Illi enim sub gravissima febre non raro obveniunt, ubi nulla extat phlogistica diathesis, et summa urget virium debilitas. Hujusmodi dolores, ut plurimum sine tussi, et sputo cruento contingunt, et saepe sponte quiescunt.

§. 548. Huic primo stadio succedit peticularum eruptio, quam exacerbatio symptomatum, et convulsivi motus, delirium, tendinum subsultus praecurrunt. Si morbus regularis sit, intra quartam, et septimam diem expletur eruptio. Ubi vero haec desideratur regularitas, modo celerius, modo tardius peticulae efflorescunt. Hae enim nunc ante ipsam febris invasionem, prima scilicet, secunda, aut tertia morbi die; nunc undecima, aut decima quarta apparent. Ut plurimum primum ad collum, pectus, et brachia;

Digitized by Google

deinde ad dorsum, crura, et tandem ad reliquas partes erumpunt, si excipiatur facies. Tamen in hac peticulas observasse, plures affirmant. Illae vero, quas alii circa labia, et fauces, et in oris cavo perspexerunt, non ad peticulas veras, sed ad ecchymomata pertinent. Aliquando ad unam partem limitatur eruptio; nam aut in solis brachiis, aut in pectore, aut in extremitatibus inferioribus se produnt peticulae: aliquando ordine inverso procedit; nam incipit a femoribus, et deinde ad superiores partes extenditur. Quandoque ita sub epidermide absconduntur peticulae, ut nisi repetita, et obliqua inspectione perspici non possint. Interdum comparent, et paullo post è conspectu se subripiunt; et pluries redeunt, deceduntque. Peticulae autem quoad colorem, magnitudinem, figuram, et copiam valde differunt. Tamen verae exigua punctula, aut maculas subrotundas, illis ex morsu pulicum productis similes referunt. Si enim diffluant, et lentes magnitudine excedant, ad ecchymomata spectant. Peti-

Digitized by Google

culae licet persaepe innumerae, tamen distinctae, et discretae sunt. Rarissime ita confluunt, ut insimul junctae majores maculas constituant. Nonnunquam in uno, eodemque aegrotante varii coloris erumpunt. Iacent sub epidermide, nec infra cutim descendunt; quamvis Diemembroechius, eas esse valde profundiores, et conicas affirmet, quarum apex est in cute, basis tam profunda, ut ad ossa penetret.

§. 549. Si peticulae benignae sint, post eruptionem omnia mitescunt symptomata. Febris etiam minuitur, sed permanet, ut plurimum exacerbationibus, et remissionibus distincta. In peticulis vero, quas Burserius mediae naturae appellat, alia post eruptionem symptomata mitiora fiunt, alia intensiora, aut eamdem intensitatem servant, ut delirium, subsultus tendinum, pulsuum parvitas, qui in benignis validiores, et elatiores evadunt. Post autem efflorescentiam malignarum peticularum omnia exasperantur, et alia accedunt lethalia symptomata. Intenditur

Digitized by Google

febris, ejusque periodus saepissime obscuratur; deprimuntur pulsus, et inaequales, et quandoque intermittentes fiunt, quandoque rari, et tardi; oculi rubent, et lacrymantur; adveniunt convulsiones, delirium, tendinum subsultus, tinnitus aurium, surditas, anxietas ingens; lingua fit arida, aspera, nigricans, aphthosa; halitus foetet; dentes, et labia sordescunt; nunc opprimit sopor, nunc pervigilium; nunc cum sopore insensibilitas conjungitur; intumescit venter cum urinae suppressione; aliquando aegri aversantur potum, etsi lingua sit arida, et sitis urgeat; extremitates, aut universum corpus friget. Saepe sub eruptione, aut post eam inflammationes evolvuntur, ut anginae, peripneumoniae, encephalitis, quae funestum finem saepe sollicitant. Si peticulae complicentur, aut cum vermibus, aut cum gastricis sordibus, aut cum aliis exanthematibus; post eruptionem, aut perstent, aut pacatiora, aut asperiora fiant symptomata, alia adsunt illorum morborum propria. Si, absoluta eruptione, ali-

Digitized by Google

quod exanthema sit proditurum, iterum ingravescit febris, et convulsivi motus, pervigilium, alienatio mentis, respiratio laboriosa saepe praesto sunt. Haec autem foenomena, erupto exanthemate, si mitis sit naturae, aut sedantur, aut desistunt.

§. 550. Si ad examen benignarum, et malignarum peticularum vocentur symptomata, facile haec non differre, nisi gradu deducitur. Praeter autem symptomata, eruptionis modus, et exanthematis color observandus est, si naturam morbi benignam, vel malignam deprehendere velimus. Etenim in benignis peticulis eruptio, quae mitiorem febrem sequitur, est facilis, regularis, in collo, pectore, brachiis incipiens; mox per universum corpus ad manus usque, et pedes paullatim se diffundens, et plerumque decima quarta die lente evanescit. Dum autem versus finem peticulae decolorae fiunt, pulsus validiores evadunt, respiratio facilis, et madida cutis. Color benignarum peticularum est ruber, et roseus. Ex ad-

Digitized by Google

verso malignarum eruptio est difficilis, irregularis, sera; et post eam non solum febris magis intenditur, sed omnia ingravescunt, et alia, ut vidimus, gravissima symptomata apparent. Earum color est saepe lividus, violaceus, nigricans.

§. 551. Tam benignae, quam malignae peticulae primariae a symptomaticis sedulo distingui debent. Illae, ut supra diximus, maturae efflorescunt, et sua stadia, ut caetera primaria exanthemata percurrunt; nec ultra producuntur, si simplices sint, et regulares: hae autem serius, et persaepe circa morborum statum, et finem erumpunt; ac proficiscuntur vel ab eorum malignitate, et depravatione sanguinis; vel ab ipso sanguine nimis concitato, et aestuante, qui in spatia cutis ad effusionem cogitur, ut in morbis inflammatoriis, et ubi medicamina incitantia improvide adhibentur, evenit. In febribus typhodibus peticulae serius ocyus frequenter prorumpunt, ut plurimum a maligna morbi indole, aut a gastrica complicatione productae. In decursu etiam

Digitized by Google

febrium gastricarum nonnunquam cernuntur, imprimis si negligantur purgationes, aut praepostere calidum usurpetur regimen. Aliquando paroxysmi febrium intermittentium peticulis consociantur, quae tempore apyrexiae evanescunt. Peticulae autem primariae ab aliis exanthematibus propriis characteribus distinguuntur; nam supra cutim nec eminent, nec eam asperam reddunt, nec dolent, nec pruriunt, nec exulcerantur, nec in desquamationem abeunt, quamvis Petrus a Castro de hac loquatur, sed paullatim dissipantur.

§. 552. Observatione cadaverum nihil aliquando in his offenditur; sed saepius aliqua labes invenitur. Joseph Franchius in cadaveribus peticulas superstites vidit. Forestus, aliique de peticulis post mortem comparentibus testantur. Stollins peticulas internas in meningibus, pleura, pericardio, diaphragmate, et in ipso corde observavit. Nos vero arbitramur, tam peticulas post mortem apparentes, quam internas, non esse probabiliter, nisi ecchymomata, quae saepe in ipso mortis

Digitized by Google

momento se produnt. Frequenter vasa meningum atro sanguine turgida reperiuntur, unde illarum fuscus color. In cerebro praegressae inflammationis vestigia, et abscessus; in ventriculo, et intestinis maculae nigrae; in pulmonibus, et in visceribus abdominis apostemata, et gangraenae; vasa hepatis nigro, et soluto sanguine distenta cernuntur. Citissime corrumpuntur cadavera, quae saepe in externa superficie maculas latas, lividas, nigricantes praeseferunt.

§. 553. Peticularum primariarum caussa est specificum contagium, quod in sanguinem transit, et partes prius irritabiles, et sensibiles agitat, unde producitur febris, et nervosa symptomata. Posteaquam vero totam sanguinis massam pervaserit, per cutim diffunditur, et ob specificam actionem suam oriuntur peticulae. Hae autem nihil aliud sunt, quam guttulae sanguinis effusae, et stagnantes sub epidermide; ideo non sunt, nisi parva ecchymomata. Quia a peculiari contagio pendent, peculiarem morbum constituunt;

Digitized by Google

per praefinita stadia, ut alia exanthemata, absolvunt cursum; figuram subrotundam constanter offerunt; et vix unquam confluentes comparent. Cum multiplicatur contagium, valideque operatur, vitiantur humores, et sanguis, qui solvitur, unde frequenter haemorrhagiae, gangraenae, et alia lethalia symptomata oriuntur. Dum peticulae epidemice regnant hae etiam cum morbis intercurrentibus observantur; quod propagari contagium denotat, etiamsi non in omnibus aequalem explicet vim. Si in aliquo aegrotante extemplo peticulae evanescant, manifestantur exitiosa symptomata; siquidem humores a cute repelluntur contagio infecti, qui cerebrum, nervos, et viscera nobilia impetunt. Peticulae symptomaticae a diversis caussis nasci possunt, ut a resoluto, et corrupto sanguine; ab atonia solidorum; ab irritatione nervorum; a defectu oxyginii, aut ab exuberantia carbonii in humoribus; a nimio sanguinis impetu; ex quibus caussis fere idem super cutem, ac a contagio producitur effectus.

Digitized by Google

Sed hujusmodi peticulae non percurrunt determinata stadia; figuram tam constantem non habent; saepe sunt effusae; et aliquando super cutem aliquantisper eminent. Praeterea dum sunt alicujus morbi etsi epidemici symptoma, aliis intercurrentibus morbis non conjunguntur. Peticulae primariae homines corripiunt cujuscunque aetatis, temperamenti, genetis. Secundum vero variam epidemiarum indolem nunc mares, nunc foeminae, nunc juvenes et pueri, nunc senes, et debiles magis implicantur morbo, magisque periclitantur. Ut plurimum vero magis juvenes, et robusti, quam senes, et debiles afficiuntur, et in vitae discrimen conjiciuntur. Sic nulla est regio ab hoc morbo immunis. Peticulae enim modo per elatiora, et salubria loca; modo per humilia, palustria, et insalubria proferuntur, et saeviunt. Ast plerumque initium habent a pauperibus, qui male nutriuntur, et humiles, sordidas, humidasque casas habitant; ac deinde in alios melioris conditionis homi-

Digitized by Google

nes propagantur, grassanturque epidemice. Quidam contendunt, illos, qui peticulari morbo laborarunt, non amplius in eum relabi, quod experientiae adversatur, ut expertissimi auctores confirmant. Ast illi, qui semel peticulis affecti fuerunt, non tam facile in eas recidunt, et in periculum veniunt. Burserius, qui pluries vidisse homines peticulis correptos testatur, §. 338. inst. inquit = Verumtamen haud inficior, qui semel peticulari morbo perfuncti sunt, difficilius, et multo minus eodem infici. =

§. 554. Equidem multiplices esse videntur caussae, quae efficiunt, ut contagii effecta promptius, et facilius patiantur corpora. Hujusmodi caussae sunt quaedam aëris constitutio, ut calido-humida; frequens ventorum meridionalium spiramentum; aëris impuritas; annonae caritas; pravi cibi, et potus; inundationes; quaedam animi pathemata, ut moeror; intemperantia; abusus veneris; vigiliae nimis protractae, immodici labores; laxa temperies. Si ex istis caussis

Digitized by Google

generalis sit alicujus influxus, peticulae evadunt epidemicae; sin minus sporadicae. Cum autem ex iisdem caussis alii etiam manant morbi, hinc saepe cum his complicantur peticulae, ut cum diathesi rheumatica, inflammatoria, gastrica, verminosa, praecipue si hisce diathesibus faveat aëris constitutio. Etiam ob harum caussarum vim peticularum contagium plus, aut minus efficaciter agit. Interdum per earum influxum tam est perniciosum, ut non solum partes sensibiles, et irritabiles offendat, sed etiam sanguinem, reliquosque humores vitiet, dissolvat, ed ad universam corruptionem disponat. Quamvis nihil certi de hoc affimare possimus, cum modo pauperes, modo divites; modo debiles, modo robusti; modo regiones salubres, modo insalubres magis plectuntur morbo, nihilo tamen minus certum est, quod ad propagationem contagii quaedam in corporibus dispositio necessaria est, quae ab aliqua ex expositis caussis nasci debet.

Digitized by Google

§. 555. Peticulae primariae periculosae sunt. Plus vero, aut minus periculi, ab earum colore, numero, eruptione, symptomatibus, epidemiae ingenio deducitur. Hinc obserbandum est, an peticulae benignae sint, vel malignae; regulares, vel irregulares. Quamvis vero benignae, et regulares tutiores habendae sunt, tamen non adeo iis confidere debemus, ut nihil timendum esse arbitremur. Mutatur enim interdum aspectus rerum, et imminet periculum, ubi remotissimum credebatur. Ast ut plurimum, quia in peticulis benignis febris est levis, et mitia symptomata; pulsus aequalis, validus; respiratio facilis; eruptio regularis, et graduata, nempe prius in partibus superioribus, deinde in inferioribus; exanthema discretum, circumscriptum, rubrum, sat diu perstans; mox paullatim pallescens, et vel levi diaphoresi, vel modico alvi fluxu, vel placido aegrotantium sopore evanescens; nullum impendet periculum. Malignae vero, et irregulares vi-

Digitized by Google

tam saepe in extremum adducunt; quod a gravissimis, evidentibusque symptomatibus eruitur. Haec praecipue sunt magna virium dejectio; irregularitas, debilitas, intermittentia pulsus; respiratio difficilis; lingua, sicca, arida, nigra, tremula, et nulla sitis; eruptio aut praecox, aut tardior; exanthema diffusum, lividum, nigricans, ex nigro virescens, fugax, intro refluens; vibices nigricantes, livescentes; major symptomatum gravitas post eruptionem, et alia supervenientia, ut spasmi, convulsiones, singultus, delirium, inflammationes, gangraenae, ulcera depascentia faucium, quae ad oesophagum, et laryngem extenduntur; urina aut tenuis, aut nigricans, aut sanguini mixta, aut ejus secretio supprimitur; tumor abdominis; dejectiones involuntariae foetidissimae; profusae haemorrhagiae; animi deliquia; tendinum subsultus; nervorum distensiones; vigiliae, aut profundus sopor; sudor frigidus, viscidus; facies cadaverosa; extremitatum frigus. Quoniam numerus, et color peticularum pe-

Digitized by Google

culiarem considerationem merentur, observamus, pejores esse copiosas, confluentes, exiguas, fere absconditas, et non visibiles, nisi oculis oblique tuentibus; tutiores discretas, et circumscriptas: sic periculosiores esse nigras, plumbeas, livescentes, atro-virescentes; meliores laete rubras, sed non ruberrimas, et puniceas.

§. 556. Aliquando peticulae praepropere è conspectu evolant, et ab earum retrocessu gravissima consequuntur foenomena, quorum saepe finis, ut Burserius inquit, mors ipsa est. Observandum igitur, an symptomata insurgant maximam aleam denotantia, ut delirium, convulsiones, spasmi, respirandi labor, pectoris oppressio. Aliquando post hunc retrocessum nullum gravius symptoma apparet, quia superveniunt salutares evacuationes, ut modicus alvi fluxus, urina copiosa, sudor, quae a periculo mortis vindicant. Tandem cum morbus ad inclinationem vergit, non raro obveniunt salutiferae crises, aut sine eviden-

Digitized by Google

ti crisi resolvitur, ut in peticulis benignis et regularibus sub finem secundae hebdomadae, aut citius, decrescit febris, pulsus aequaliores, et elatiores fiunt, et omnia gradatim minuuntur symptomata. Interdum vero aut universali calido et aequali sudore, aut haemorrhagiis, praesertim narium in plethoricis, et juvenibus, aut urina copiosa, et saepe sedimentosa, aut egestionibus, aut abscessu parotidum, aliarumque glandularum, aut pustulis circa labia feliciter peticulae judicantur. Harum judicationum utilitas ab imminutione febris, et omnium symptomatum nullo negotio deprehenditur. Ubi adest complicatio gastrica in ipso morbi decursu frequenter materiae biliosae liquidae, foetidae dejiciuntur, quae vero sub finem prius minus frequentes, et olentes, deinde ad naturalem colorem, et consistentiam redeunt. Aliquando morbi cursus lentior est, qui ad finem tertiae, aut quartae haebdomadae extenditur; sed ut plurimum decimam quartam aut vigesimam primam diem non superat. Si morbi ma-

Digitized by Google

teria ad exteriora transiliat, tum pustularum eruptiones; gangraenae externarum partium, praecipue circa os sacrum, et nates; tumores, et abscessus parotidum, aliarumque glandularum; oedemata, quae utpote morbi levamen afferant, ut totidem salutares crises habenda sunt. Saepe post morbum diutina est convalescentia, potissimum si malignae fuerint peticulae, ob virium debilitatem, pluraque incommoda, quae aliquando supersunt.

§. 557. Quoad peticularum primariarum curationem attinet, quoniam hae aut benignae, aut malignae, aut simplices, aut complicatae sunt; urgent interdum symptomata, quae peculiarem respectum exposcunt; varium est temperamentum, aetas, habitus aegrotantium; diversa est annua, et epidemica constitutio; hinc varia esse possunt remedia, quae opportuna videntur. Tamen conducibilior curatio simplex est; simplicissima, si peticulae sint benignae, regulares, simplices, ut omnes practici conveniunt. Inquit Burserius §. 353. op. cit. =

Digitized by Google

Cum vero natura, ut vera morborum curatrix, sibi primum locum vendicet, simplicissima certe methodo uti expedit, quae ei quidem auxilietur, non imperet. Experientia enim vero saepissime demonstravit, eos, qui naturae rem commiserunt, felicius, faciliusque de morbo triumphasse. Idque probe tenendum imprimis, ubi peticulae benignae, regulares, purae, minusque complicatae sunt; quo casu etiam Roboretus nullo medicamento utebatur. = Equidem plurimos vidimus solis aqueis potionibus, aut aliquo simplici medicamine in sanitatem restitutos, etiamsi peticulae nec tam benignae, nec tam regulares fuissent. Id etiam Burserius loc. cit. ita vidisse affirmat = Ego quoque pluries in hujusmodi morbo naturae efficacitatem admiratus sum; vidique plus prudenter cunctando, quam agendo profectum esse. Id praesertim pauperibus usuvenit, qui et rarius a medicis curantur, et paucissimis uti solent remediis. = Etiam illustris Giannini medendi simplicitatem celebrat. Is enim

Digitized by Google

vol. 1. cap. 6. sui operis inquit, remedia in hunc morbum esse tantum palliativa, circumscripta, imperfecta; nam ejus caussa est contagium, in quod non est adhuc medicamen repertum. Hinc curatio morbi potius a natura, quam ab arte absolvitur; ideo minus operositas, et artis sapientia prodest, quam inscitia, et cunctatio nocet; ideo remediorum simplicitas naturae opus non perturbat. Auctor autem secundum suas contemplationes, et experientiam frigidas immersiones instituit. Has ut eminens palliativum remedium judicat; nam non est aliud, quod ab initio abscindere possit morbum. Est vero palliativum directum, quia ejus actio incitamentum non percutit, sed aufert caloris symptoma, quod ab actione contagii in arteriarum systema proficiscitur, et ex quo alia nascuntur symptomata. Plerique vero practici, quamvis remediorum simplicitatem commendent, immersiones frigidas universim non admittunt, licet in quibusdam casibus proficuae reperiantur. Summa enim est va-

Digitized by Google

rietas quoad contagii effecta; aegri aetatem, temperiem, habitum, vires; symptomata, complicationes; et epidemicae constitutionis indolem.

§. 558. Cum in curatione peticularum nonnulla interdum remedia possunt expedire, aliquid de praecipuis dicendum est. Sanguinis missio raro convenit; imo ut plurimum periculosa est, maxime in illis asthenica diathesi affectis. Haec enim vires delet, nervorum sensibilitatem auget, unde facilius evolvuntur nervosa symptomata. Quocirca locum tantummodo habet, ubi eam exigat aegri temperies plethorica, robur, aetas juvenilis; pulsus sint duri, magni; excruciet capitis dolor, aut delirium, quod nervosum non sit, sed a nimio sanguine, aut ab aliqua inflammatione productum, ut a calore frontis, rubore faciei, vehementi arteriarum temporalium, et carotidum pulsatione, oculis rubris elicitur; respiratio sit difficilis cum dolore pectoris punctorio, tussi, et sputo sanguineo; aut aliqua inflammatio fauces, et viscera invadat. Non-

Digitized by Google

nulli ad removendam encephalitidem ante peticularum eruptionem, venam jugularem, aut frontalem tundere praecipiunt. Si vero aliqua viscerum inflammatio instet, etiam post eruptionem venam secare fas est. Ne autem sanguinis imminutio noceat, haec semper statui virium, aetati, temperamento, aliisque circumstantibus rebus respondeat. Si ambigatur, an venae sectio expediat, admovere hirudines, aut scarificatas cucurbitulas tutius erit.

§. 559. Inter initia morbi saepe emeticum exhibendum est. Hoc enim expellit contagium, quod prius ventriculum, et pulmones pervadit, et deinde absorbetur, et intra vasa multiplicatur. Pluries vidimus summam hujusce remedii efficaciam, cujus actione non raro exscinditur morbus, quem gravia comitantur symptomata. Juvat praeterea emeticum, si sordes praegravent ventriculum, aut multa bilis hepar, et duodenum inferciat. Sed si signa potius saburras in intestinis latitantes demonstrent, melius est ante

Digitized by Google

exanthematis eruptionem leve purgans porrigere Hac vero incoepta, alvus non amplius sollicitanda, nisi cogat necessitas, quod fieri debet levissime. Post exhibitum purgans, clysteres, jura insulsa pulli, aut vitulinae carnis purgationem complent. Burserius op. cit. §. 358. enumerat casus, ubi purgatio repetenda est, etsi turgentis saburrae desint indicia, inquiens = Sunt tamen casus, in quibus, etsi saburra non turgeat, purgationem lenem iterare meo quidem judicio licet; nimirum evanescentibus peticulis, et morbo inclinante, aut metastasi ad interiora, aut ad caput imminente, aut tum, cum urinae è turbidis, et crassis repente tenues, et crudae fiunt, nulla alia excretione earum vice supplente. = Si vero hi casus excipiantur, et ubi iterum saburrae, et faeces in intestinis colligantur, purgatio iteranda non est, quae vires prosterneret, irritumque redderet naturae opus. In quovis autem casu leve esse debet purgans exhibendum, ut cremor tartari, manna, pulpa cassiae, tamarindo-

Digitized by Google

rum, rhabarbarum; secus non solum elideret naturae vires, sed etiam peticularum eruptionem impediret, et exitiosum alvi fluxum produceret.

§. 560. Priusquam recentiores directam curationem in peticulas statuere conarentur, scilicet actione quorumdam medicaminum oxyginium conducentium earum contagium decomponere, post institutam sanguinis missionem, aut emeticum, aut purgans exhibitum, reliquum curationis in usu diluentium, temperantium, subacidorum, diapnoicorum ponebatur, ut sunt decoctiones hordei, radicis althaeae, scorzonerae, dilutum florum sambuci, potiones aquae cum succo mali medici, et interdum cum acido vitriolico. Modo autem quia a recentioribus contagium petechiale ut substantia animalis habetur, aut saltem ita animalibus substantiis juncta, ut si decomponatur non amplius contagiosa sit, oxyginium, ut remedium hoc contagium decomponens putatur. Omne igitur studium recentiores adhibent, ut contactus

Digitized by Google

oxyginii cum materie contagiosa contingat. Quocirca utuntur remediis, quae oxyginium conducunt, quod dum contagium decomponit, breviorem faciat morbum, et aliquo modo abrumpat. Sublata igitur remediorum farragine, in toto morbi cursu acidum sulphuricum in aqua dilutum dumtaxat exhibent, Smith ita persequentes, qui tres drachmas, aut amplius hujusce acidi in aqua diluti cum pauco saccharo dabat in die, et inquit hoc remedium maximae utilitati aegrotantibus fuisse. Giannini frictiones mercuriales, et calomelas adhibuit, et pluribus historiis horum remediorum emolumentum comprobat. Praeterea inquit, se in desiderio fuisse, frictiones generales unguenti oxygenati, interius acidum nitricum, muriaticum oxygenatum, et praesertim muriatem potassae oxygenatum adhibere, nisi ab usurpatis remediis; frigidisque immersionibus felices eventus expertus fuisset. Sic nisi adhibita auxilia tam utilia essent, oxydes bismuti, zin-

Digitized by Google

ci, et alia similia, opem esse allatura arbitratur.

§. 561. Quamvis exposita doctrina de natura contagii, et de remediis hoc decomponentibus evidens videatur, nihilo tamen minus hujusmodi remedia indiscriminatim, et sine magna cautela usurpari non possunt. Acida enim mineralia saepe nimis irritant ventriculum, exasperant tussim, fibrarum irritabilitatem infirmant, et ubi subsit aliqua inflammatio maxime damnosa sunt. Mercurialia autem aut salivationem, aut diarrhoeam, aut valde nocuas irritationes pariunt. Tutior igitur erit curatio, quae in usu diluentium, subacidorum, et leviter expirationem adjuvantium versatur. Potiones enim ex succo mali medici, et aurei utiles sunt, et jucundae. Ubi autem necesse sit, acida mineralia adhibere, haec diluantur, et edulcorentur. Versus morbi finem ut plurimam levia diaphoretica conveniunt, ut dilutum florum sambuci, spiritus cornu cervi, haustus salinus, etc. Si vero sudor spontaneus, modicus, et aequalis ma-

Digitized by Google

net, haec necessaria non sunt. Aliquando vires tam deficiunt, ut opus sit, eas medicamentis erigere, quod saepe modico vini usu prospere cedit.

§. 562. Inter remedia, quae in curatione peticularum etiam locum habent, sunt vesicantia, epispastica, frictiones, cucurbitulae siccae, fotus. Quoad vero vesicantium usu, necessaria est quaedam distinctio. De horum enim utilitate conveniunt omnes, si tarda sit peticularum eruptio; si hae retrocesserint; si natura torpeat; si metastaseos periculum subsit; si aegrotantium temperies melancholica sit, et pituitosa; si caput, aut pectus graviter afficiatur. Haec autem in unoquoque morbi stadio, et in variis corporis partibus apponi possunt, scilicet brachiis, femoribus, cruribus, collo, parti capillatae capitis, pectori, dorso, prout res circumstantes expostulant. Cum vero in diversis epidemiis varium morbus induat characterem, hinc modo utilia, modo nocua vesicantia sunt. Itaque illarum ingenium uaviter spectandum est. Ut plu-

Digitized by Google

rimum ubi aegrotantes irritamento non egent, ut sanguineo, et bilioso temperamento praediti, et ubi dissoluti sanguinis appareant indicia, nocua reperiuntur vesicantia; inutilia, ubi nullum urgeat symptoma, quod ea requirat, et ubi ad eruptionem absolvendam natura sufficiat, et ei stimulo opus non sit. Si autem revellentia idonea videantur, sed dubium manet, an visicantia juvare possint, vel nocere, satius erit pedibus sinapismata admovere. Denique ad lentam eruptionem exanthematis sollicitandam, et ad retropulsas peticulas extrorsum avocandas, frictiones, cucurbitulae siccae, fotus proponuntur.

§. 563. Plures fuerunt expertissimi practici, imprimis Neapolitani, qui in omni peticularum stadio aqua frigida, et nivata usi sunt; ac in diaeta aquea, nullo nempe alio medicamento, et alimento, aut certe tenuissimo adhibito, totam curationem posuerunt. Quamvis vero hujusmodi methodus felices obtinuerit exitus, tamen aliquando detrimentum at-

Digitized by Google

tulit, ut Petrus a Castro testatur, qui non paucos ab aqua frigida necatos vidit, et Giannini, qui nonnullos infaustos casus observavit. Distinguendum igitur est, cum aqua frigida utilis, aut detrimentosa esse possit, quod ab ipsa ratione, et auctorum experientia deducitur. Tuto enim, feliciterque eam adhibebimus, si validae sint vires; febris ardens; tempus aestivum; aeger juvenis, robustus, carnosus. Contra periculosissimus est usus aquae frigidae, si aeger sit gracilis, debilis; stomachus infirmitate laboret; pectoris angustia premat; aliqua extet inflammatio. Ubi autem adest universalis debilitas, aqua frigida cum calore febrili etiam naturalem aufert.

§. 564. Si maxime dejiciantur vires, adsit solidorum laxitas, nervorum sensibilitas, humorum ad liquescendum proclivitas, periculum gangraenae immineat, tonica, cardiaca, antiseptica expediunt, ut cortex peruvianus, vinum generosum, aqua cinnamomi, confectio chermesina. Cortex vero peruvianus ad imminuendam

Digitized by Google

nervorum sensibilitatem, removendamque gangraenam super alia excellit. Plerique autem conveniunt, utilius esse, sub decoctionis, aut extracti forma corticem porrigere, quamvis aliquando ejus pulvis salutaris fuerit repertus. Hunc vero, si administrare velimus, nunquam largiter, ut in febribus intermittentibus, sed prudenter est exhibendus; aliter potius nocet, praecipue si angustia pectoris, et respiratio difficilis fatiget. Inquit Burserius inst. §. 365. = Largiore equidem ejus usu interdum opus esse, non negaverim; sed modum tamen aliquem adhibendum arbitror, ne inutili copia aegros obruamus. Non enim remedii, si bonae notae fuerit, vis in enormi ejus quantitate, quam paucissimi sine molestia, nausea, aut vomitu, aut alvi fluxu diu ferre possunt, sed in prudenti, apta, et continuata praebitione consistere tota videtur. = Denique vinum, alimenta liquida, calida, nutrientia, ad reficiendas vires maxime juvant.

Digitized by Google

§. 565. Saepe inter symptomata sunt, quae peculiarem considerationem, et curationem merentur, ut vigiliae, sopores, dolores faucium, pectoris, aliarumque partium, singultus, vomitus, tussis, respiratio difficilis, diarrhoea, urinae suppressio, sudores profusi, haemorrhagiae, convulsiones, meteorismus, inflammationes, gangraenae. Hujusmodi vero symptomata variam habere possunt originem, nimirum vel a malignitate morbi, vel a summa virium debilitate, et fibrarum atonia, vel a nimia nervorum sensibilitate, vel a peticularum retrocessu, vel a complicatione aliqua, quod diligenter perquirendum est. Quae pendent a maligna morbi indole, et nimia nervorum sensibilitate, ut spasmi, convulsiones, proclivitas humorum ad liquescendum, gangraenae, praecipue tonica, antispasmodica, antiseptica; quae a virium dejectione, et atonia fibrarum, ut meteorismus, diarrhoea, sudores, tonica, cardiaca, et flatus discutientia; quae a peticularum retrocessu, ut angustia pectoris, dolores, laboriosa respiratio, levia diaphoretica,

Digitized by Google

vesicantia, sinapismata; quae a complicatione gastrica, et verminosa, ut singultus, vomitus, diarrhoea, meteorismus, mitia emetica, purgantia, anthelmintica, clysteres, fotus; quae a complicatione inflammatoria, ut ab inflammatione ventriculi dolor regionis epigastricae, singultus, vomitus, ab inflammatione pulmonum dolor pectoris, tussis, respiratio difficilis, sanguinis missiones, demulcentia, temperantia, lenia laxantia, fotus emollientes, et deinde vesicantia requirunt. Pro vesicali ischuria quae frequenter in hoc morbo supervenit, quin subito ad catheterem confugiamus, usurpentur prius unctiones oleosae, fomenta emollientia, clysteres, ac leviter alvum ducentia, quibus non raro urinae fluxus restituitur. Loquuntur auctores de quadam scabie, quae interdum circa finem peticularis morbi efflorescit, cum symptomatum omnium levamine, unde ut critica habetur. Ast nos arbitramur, aut hujusmodi impetiginem criticam ad scabiem non pertinere, aut si ad eam pertineat proprie

Digitized by Google

crisin non constituere ; siquidem vel a contactu hominis scabie laborantis, vel alicujus rei psorico contagio infectae dependet. Dum igitur est impetigo critica, repellenda non est, et solum serum lactis, et alia edulcorantia conveniunt. Si autem sit scabies, ex eo quod morbi levamen attulit, cunctandum ; sed si diu persistat, edulcorantibus, aquis mineralibus, balneis thermalibus curanda est.

§. 566. Convalescentes ex hoc morbo per aliquod temporis spatium sensuum internorum, et externorum imbecillitatem patiuntur ; proclives sunt ad soporem ; et extremitates inferiores oedematosas habent. Verum haec incommoda paullatim evanescunt, convenienti adhibito diaetetico regimine. Victus in decursu morbi tenuis, augendus in convalescentia, talis sit, ut prompte concoquatur, restauretque vires. Conservetur animi quies ; respirandus aër sit purus ; ac sensim sensimque aliqua corporis exercitatio praecipiatur.

Digitized by Google

§. 567. Quoniam opinamur, peticulare contagium vel attactu, vel exhalationibus ab infectis corporibus ad aliquam distantiam emissis propagari, ne id eveniat, quaedam regulae tenendae sunt. Imprimis qui peticulis laborant, sollicite a sanis, et ab aliis aegrotantibus separentur, ut fieri solet, aliis prodeuntibus contagiosis morbis. Haec regula observanda est, etiamsi peticulae sporadicae sint, quae interdum epidemicae fiunt, et contagiosae. Ubi autem locantur aegri, acidi suffitus fiant, sive nitrici, sive muriatici; quamvis saepe primi praeferendi sunt, quia non irritant pulmones, nec violentam excitant tussim. Aër continuo renovetur; et omni cura conservetur mundities. Quocirca impediatur, ne aegri ejiciant sputa in solum; statim sordida linteamina, et excrementa exportentur; et in vasis, ubi deponuntur faeces, aliqua aquae frigidae quantitas servanda est. Continuo autem propinqua cubicula acido muriatico oxygenato suffumigentur, quod aliquo modo pervadat vestes illo-

Digitized by Google

rum, qui a locis exeunt, ubi colliguntur peticulis laborantes. Praeterea horum aegrotantium curatores sint, qui jam peticulis perfuncti sunt. Hi autem aut vino, aut aceto frequenter laventur; prope aegros, quantum licet, comprimant spiritum; saepe expuant salivam; nec potus, nec alimenta sumant, ne aut cum aëre, aut cum saliva, aut cum alimentis, potubusque contagiosos halitus hauriant. Grassantibus epidemicis, et contagiosis peticulis, omnibus juvat ab abusu veneris, ingluvie, et a caussis debilitantibus, et ab illis, quae cohibent insensibilem perspirationem cavere. Plures sunt, qui ad propulsandas peticulas a sanis hominibus, praescribunt medicamenta tonica, antiseptica, sudorifera, alexipharmaca, quae omni effectu carent, nisi tradita praecepta, maxime quoad vivendi modum, retineantur.

Digitized by Google

ORDO SECUNDUS

Exanthemata elevata

GENUS PRIMUM

Miliaria.

§. 568. Miliaria sunt papulae, vel pustulae seminibus milii similes, quarum eruptionem ut plurimum febris, copiosi sudores acidum olentes, pectoris oppressio, anxietas, suspiria, convulsivi motus praecedunt. Hujusmodi exanthema notum fuisse Hippocrati, demonstravit Trillerius; tamen non videtur ab ipso habitum, ut specialis morbus. Plures praeclarissimi scriptores saeculi decimiseptimi, et octavi de miliaribus accurate loquuti sunt; et praesenti saeculo Creyssig febrem miliarem, quae anno 1800. Wittembergae grassabatur; Baraldi febres miliares epidemicas Corregii; De Augustini illas No-

Digitized by Google

variae descripserunt. Ast admodum variae sunt opiniones auctorum, etiam recentiorum circa naturam, et originem miliaris exanthematis. Aut enim ambigitur, an hoc exanthema, vel febris pro primario morbo judicanda sit; aut considerantur miliaria, ut diversorum morborum acutorum symptoma; aut ut morbus puerperarum proprius, et a retentis lochiis, et lactis retrocessu productus; aut ut effectus calefacientis regiminis in acutis morbis; aut cum Cullenio ut eruptio fortuita, non contagiosa, a caussis in cutem agentibus orsa; aut cum Pringle ut aegritudo vel a putredine, vel ab aëre paludum, aliorumque locorum insalubrium, vel ab aëre clauso, et humanis halitibus repleto, vel a sordibus gastricis, corrupta bile, aliisque vitiatis humoribus, vel a nimio sanguinis sero, vel a perspiratione cohibita adducta. Observationes vero in pluribus epidemiis institutae modo dubium non linquere videntur, quin miliaria existimanda sint ut morbus primarius exanthematicus, cujus-

Digitized by Google

vis aetatis proprius, a peculiari contagio genitus, qui ut reliqua primaria exanthemata sua percurrit stadia.

§. 569. Siquidem exanthema miliare plures exhibet varietates, hinc in benignum, et malignum; regulare, et irregulare; simplex, et complicatum; larvatum dividitur. Stadia autem ab hoc exanthemate percurrenda, tria sunt, scilicet stadium apparatus, eruptionis, exiccationis. Nonnullis placet quartum addere, quod suppurationis, aut maturationis dicitur, intra eruptionem, et exiccationem positum. Ast quamvis hoc stadium admitti possit, tamen aliquid subtilitatis continere, fatendum est. Nos autem priusquam de morbi varietatibus loquamur, generalem ejus imaginem tradere debemus.

§. 570. Non semper morbus post contagii absorptionem subito evolvitur; sed a quibusdam prodromis signis praenunciatur. Haec sunt quaedam universalis lassitudo; artuum dolores, aut per varias partes errantes; membra veluti fracta sen-

Digitized by Google

tiuntur ; urina pallida ; vigilia ; aut ad somnum proclivitas ; somnus inquietus , imaginibus perturbatus , non reficiens ; calor auctus ; pectoris oppressio ; quaedam anxietas ; nausea ; appetitus defectus ; dispositio ad sudorem . Interdum vero , vix resorpto contagio , se se exerit morbus cum suis constituentibus symptomatibus , quod praesertim obvenit , dum indolem malignam praesefert.

§. 571. Posteaquam dubius interdum perstiterit valetudinis status, ut plurimum cum frigore , aut horrore explicatur febris ; cui succedit calor modo ardens , modo mitis. Hujusmodi vero febris admodum varia est ; nam nunc sub typo continuae continentis apparet , et indolem aut inflammatoriam , aut nervosam offert ; nunc sub illo continuae remittentis , et speciem gastricae , catarrhalis , aut rheumaticae induit ; nunc sub larva benignitatis , quam cito deponit , gravioribus symptomatibus furens . Saepius vero prima accessio post aliquot horarum spatium cum sudore inodoro declinat , sed ad in-

Digitized by Google

tegritatem non pervenit. Incipit nova accessio horis pomeridianis, aut vespertinis cum frigore, aut horrore, quem excipit calor, eodemque tempore manat universalis sudor, parum calidus, aut frigidus, viscidus, acidum spirans, sed in remissione copiosior. Tertia accessio gravioribus symptomatibus stipatur; nam sudores copiosiores, foetidiores, frigidiores, viscidiores erumpunt; facies evadit squallida, strigosa; saepius deficiunt vires, interdum vigent; torquent pectoris oppressio, anxietas, interdum intercostalis dolor, tussis, singultus, spasmi, linguae, labiorum, aliarumque partium tremor, palpitatio cordis, animi deliquia, subsultus tendinum, crurum et pedum crampus; functiones intellectuales alterantur; urinae prius crassae, subjugales, lateritiae, fiunt tenues, decolores, copiosae; pulsus est varius, sed plerumque intermittens, aut inaequaliter, aut ordinate inaequalis. Etenim observavit Gastellerius post novem, undecim, aut sedecim pulsationes pulsum intermittere. Subinde

Digitized by Google

frigoris, calorisque vicissitudines contingunt; et cutis tam est sensilis, ut etiam a levi attactu aëris sensus frigoris excitetur. Aliquando calidi vapores a partibus inferioribus ad superiores ascendunt, et fugaci rubore coloratur facies. Aliquando comparent gastrica symptomata, ut nausea, vomitus, alvi fluxus, tormina. Cum autem eruptio appropinquet, febris, et symptomata intensiora fiunt; universae cutis molestat pruritus; ut in variolis convulsiones accedunt; augetur oppressio pectoris, anxietas, aberratio mentis; facies tumescit, et rubicundior evadit; oculi etiam rubent; non raro fauces dolent, et rubrae fiunt; aphthae linguae apicem, et latera obsident; venter tumet, et tenditur.

§. 572. Eruptionis tempus incertum est. Haec enim aliquando post primam, secundam, aut tertiam diem; aliquando die quinta, septima, nona, decimaquarta, decimasexta, decima octava, vigesima prima, seriusque obvenit. Sed cum morbus regulariter procedit, tertia decli-

Digitized by Google

nante accessione, primum in collo, pectore, brachiis; deinde in dorso, abdomine, reliquisque partibus, sed rarissime in facie, nunquam in capillata capitis parte, efflorescunt miliaria. Interdum tamen ordine inverso prodeunt, nimirum prius in partibus inferioribus, mox in superioribus, quod raro evenit. Subinde eruptio unica est, et intra viginti quatuor horarum spatium, aut paullo amplius absolvitur. Ast frequentius ea pluries iteratur cum augmento febris, et symptomatum, ut in aliis exanthematibus usuvenit. Itaque dum priores pustulae humore implentur, aliae se proferunt; aut dum priores exiccantur, modo in hac, modo in illa parte aliae superveniunt. Interdum pustulae suum cursum explent; interdum sunt fugaces, et ad retrocessum proclives. Maxima autem est varietas quoad miliarium magnitudinem, colorem, copiam. Ut plurimum magnitudo illam seminum milii non excedit, et pustulae duriusculae tactu deprehenduntur; interdum ad illam lentium accedit, sed raro; inter-

Digitized by Google

dum tam exiguae sunt pustulae miliares, ut oculorum acie non distinguantur, nisi transversim spectatae, sed plus minusve cutim asperam reddunt, quod tactu percipitur. Hujusmodi pustulae utplurimum rubrae, aut albae sunt. Rubrae cum aliqua specie inflammationis subito apparent, et saepe in maturatione albae fiunt. Albae autem aut circa ambitum rubent, aut in apice serum continent vel pellucidum, vel lactescens. Interdum in eodem aegrotante rubrae et albae observantur, quae ab auctoribus dicuntur mixtae. Si liquidum in albis pustulis contentum est diaphanum, hae crystallinae; si serosum, aquosae; si lactescens, lacteae appellantur. Hujusmodi vero differentiae a colore desumptae saepe fallaces sunt. Pustulae enim aut in maturatione, aut per varia accidentia colorem immutant. Idcirco quae rubrae erant, albae, aut lacteae evadunt; quae crystallinae, mox opacantur, aut lactescunt. Pustulae etiam quoad copiam non parum discrepant; nam modo discretae, modo confluentes

Digitized by Google

sunt. Hae vero rarissime in universo corpore cernuntur. Duratio autem efflorescentiae incerta est; nam modo ad paucas horas, modo ad plures dies extenditur. Ut plurimum pustulae paullatim mole augentur, maturantur, rumpuntur, siccantur, resolvuntur in squamulas, aut in subtilem pulverem farinae instar cum pruritu cutis fatiscunt. Exiccatio autem modo citius, modo serius evenit, prout eruptio citior, vel tardior est. Denique post exiccationem nullum vestigium superest.

§. 573. Post eruptionem pustularum miliarium, ut in reliquis exanthematibus observari solet, aut mitescunt febris, et symptomata; aut exasperantur; aut in eodem intensitatis gradu perseverant; aut alia minuuntur, et decedunt, dum alia augentur; aut alia adjunguntur. Dum morbus est benignus, et regularis; dum tota miliaris materia ad cutim fuerit protrusa, omnia placantur, et pulsu molliore reddito, erumpente aequali sudore, et urina copiose emissa, sensim evanescunt. Dum vero morbus malignus est,

Digitized by Google

et irregularis ; dum miliare contagium humores, et universam sanguinis massam infecerit, omnia ingravescunt, et exitiosa fiunt; supprimitur sudor, arescit cutis, urinae tenues, et aqueae redduntur, laboriosior fit respiratio, summa est anxietas, accedunt delirium, convulsiones, tendinum subsultus. Dum autem morbus nec omnino benignus, nec omnino malignus est, ejusque status fere medius inter benignitatem, et malignitatem videtur, febris, et symptomata aut in eodem gradu persistunt, aut alia mitescunt, alia exacerbantur, unde morbi exitus dubius est. Quoniam aliquando fugaces sunt pustulae miliares, et ad retrocessum pronae, aut aliqua accedente caussa, ut nimio externo calore, frigore, terrore, ira, ad interiora transferuntur, nisi prompte restituantur ad cutim, aut prorumpat copiosus, et universalis sudor, aut alia salutaris excretio contingat, periculosissima, et varia ferociunt symptomata, prout miliaris materia hoc vel illud impetit viscus. Exitialia vero foenomena, ut de-

Digitized by Google

lirium, profundus sopor, summa respirandi difficultas, suffocatio, tormina, diarrhoea, vomitus, interdum etiam sine exanthematis retrocessu adoriuntur, sed cum innumerabiles pustulae miliares ad cutim propelluntur, et prominent, et cum a nimia contagii quantitate sanguis, et humores morbosas conditiones adipiscuntur.

§. 574. Hactenus communiorem aspectum, et processum miliaris exanthematis exposuimus; sed quia multiplices caussae, complicationes, varia epidemicarum constitutionum indoles, et anni tempora efficiunt, ut admodum varia insurgant symptomata, diversoque modo procedat morbus, hinc plures, ut diximus, nobis varietates objiciuntur. Videamus igitur quae sint harum praecipuarum varietatum notae. Miliaris morbus dicitur benignus, cum febris, et symptomata mitia sunt; facilis, et perfecta eruptio; omnia post eam mitescunt, et cessant: malignus, cum gravibus symptomatibus stipatur; malignitatis characteres praesefert; sum-

Digitized by Google

ma est virium debilitas; irregularis eruptio; post eam febris, et symptomatum augmentum; sudores consistunt, et cutis fit arida; accedunt profundus sopor, delirium, convulsiones: regularis, cum consueto ordine suum explet curriculum; nullum occurrit alienum symptoma: irregularis, cum sine ordine percurrit stadia, praesertim cum eruptio, aut est nimis cita, aut nimis tarda, et iterata; insueta symptomata praesto sunt. Observandum vero, quod eruptiones pustularum miliarium, ut plurimum plures sunt, quas praecedit augmentum febris, et symptomatum. Natura enim per varias vices miliarem materiem protrudere tentat, quae aut tota expellitur, aut ejus remanent reliquiae, quae etiam aut sensim per sudores, per alvi fluxum, per urinas abiguntur; aut ad aliquod viscus transvectae periculosas, et chronicas affectiones pariunt. Appellatur autem morbus miliaris simplex, cum aliis morbis genere, et natura diversis minime copuletur: ex adverso complicatus. Ast distin-

Digitized by Google

guendum est, cum exanthema miliare non complicetur, sed aliorum morborum sistit symptoma. Symptomaticum a specifica caussa non productum, nec offert signa primarii, nec absolvit constantem cursum. Hoc saepe in febribus nervosis, puerperali, catarrhali maligna, gastrica, biliosa, pituitosa, intermittente, imprimis tertiana, observatur. Ubi autem cum alio morbo complicetur, utriusque morbi propria signa apparent, plus aut minus evidentia. Interdum signa unius morbi sunt magis aperta, alterius minus, prout unus, vel alter praevaleat. Saepe haec complicatio cum aliis exanthematibus, febribus, et inflammationibus contingit. Denique miliaris morbus larvatus nuncupatur, si sub aliorum morborum specie nasconditur. Cum contagium miliare prius in aliam partem, quam in cutem operatur, alicujus morbi comparet larva. Hinc hujusmodi morbus modo sub aspectu febris aut inflammatoriae, aut catarrhalis, aut rheumaticae, aut gastricae, aut intermittentis; modo sub illo

Digitized by Google

peripneumoniae, anginae, apoplexiae, epilepsiae, comatis, spasmi, delirii corripit. Hunc larvatum morbum ab initio cognoscere arduum est: sed a regnante epidemia, ab observatione simulati morbi, qui illis notis caret, quibus distinguitur, dum genuinus est; ab examine symptomatum, quae miliaris morbi propria sunt, ut sudores abundantes, foetidi, acidum spirantes, angustia pectoris, respirandi difficultas, et inaequalitas, pulsus etiam inaequalis, contractus, convulsiones, suspiria, perturbatus somnus, etc. illius natura detegitur. In hoc larvato exanthemate vehementia sunt symptomata inter initia, quae mox imminuuntur, et evanescunt una cum efficto morbo, pustulis miliaribus prodeuntibus, quae per sua stadia cursum conficiunt. Interdum dum miliarium pustularum eruptio aut imperfecta est, aut nimis tarda, simulatus morbus in essentialem abit. Apud epidemiarum auctores tam complicati morbi miliaris historiae, quam larvati observationes invenuntur. Animad-

Digitized by Google

vertendum est, quod interdum ratione epidemicae constitutionis praevalent nonnulla symptomata, ut catarrhalia, rheumatica, gastrica, biliosa, inflammatoria; interdum aliqua ratione incognita se offerunt insueta, ut diarrhoeae, dysenteriae, narium haemorrhagiae, otalgiae, sopores, apoplexiae, phrenitides, epilepsiae, asthmata, ptyalismus. Testantur praeterea auctores, dari morbum miliarem sine pustulis miliaribus, ut interdum datur febris variolosa sine variolis. Inquit Burserius §. 398. -- Febris enim non semel a nobis observata est, in primis cum epidemice miliaria vagarentur, quae omnia, aut pleraque symptomata miliarium propria exhibeat, una excepta exanthematum eruptione. Videtur tunc virus miliare cutanea vascula facile permeare, difflarique sub sudoribus, vaporisque specie. -- Ubi morbus non perfecte solvitur, ad chronicas affectiones disponit, maxime si ejus reliquiae pertinaciter supersunt. Hinc hydropes, oedemata, consumptiones, febres lentae, tusses, sputa

Digitized by Google

cruenta, tumores, abscessus consequuntur, praecipue si convalescentes aliquem in diaetetico regimine errorem patrent.

§. 575. Circa caussam proximam miliaris exanthematis maxima est auctorum dissentio, quorum opiniones Burserius incredibili patientia exposuit. Hanc posuit Hamiltonius in humore seroso, et acido; Hoffmannus in corrupta lympha, cujus duplicem finxit naturam, nimirum acido -- vappidam, paullo fixiorem, pustulas miliares albas producentem, et sulphureo -- foetidam, alchalinam, et volatilem, pustulas rubras afferentem; Planchonius in expiratione retenta, et apud puerperas in lacte, ac lochiis cohibitis, unde serosam sanguinis partem corrumpi arbitrabatur; Gastellerius in sanguinis, lymphae, bilis putredine; Goeliche in vermibus, et insectis. Quoniam hujusmodi hypotheses insulsae sunt, et ineptae, nullam considerationem mereri videntur. Ex indubiis autem observatis convenire necesse est, caussam unicam miliaris morbi esse contagium specificae in-

Digitized by Google

dolis, ut est illud peticularum, variolarum, morbillorum. Dum enim hic morbus est primarius, epidemicus, contagiosus suos habet proprios, constantesque characteres. Quae vero sit hujusce contagii natura, et origo, ignotum est. Experientiae repugnat eorum opinio, qui miliare contagium vel ab aëre palustri, et insalubri, aut clauso, et humanis halitibus corrupto; vel a pravis alimentis; vel a gastricis sordibus, et bile, aliisque vitiatis humoribus; vel a putredine; vel a febribus putridis, et nervosis productum arbitrantur. Saepe enim miliare exanthema in montibus, regionibus saluberrimis, locisque aëre libero, et purissimo perflatis grassatur; cum nulla premat annonae caritas; cum nulla in corporibus saburrarum gastricarum, vitiorum humorum, aut putredinis signa deprehendantur; cum saeviat frigidissima hyems putrefactioni resistens. Insuper si miliare contagium a febribus putridis, et mali moris produceretur, ejus invectio in Europam antiquior foret. Hoc autem dum

Digitized by Google

corpora pervadit, ut reliqua contagia multiplicatur; percellit solida, praecipue nervos; hinc excitatur febris, alteratur sanguinis massa, ut a sudoribus foetidis, acidumque spirantibus deducitur; et tandem operatur in cutem, ubi miliaris materies adaucta sub forma exiguarum pustularum comparet. Homines autem sanos, et illos aliis morbis obnoxios aggreditur. Quapropter non raro exanthema miliare cum febre puerperali, aliisque febribus, inflammationibus, aliisque morbis consociatum perspicitur. Aut hic morbus epidemicus sit, aut endemicus, corripit homines cujusque aetatis, temperamenti, vitae generis; et pari modo decurrens, eadem infert symptomata. Tamen alii facilius contagionem contrahunt, alii ab hac declinant, etsi caussis infectionis maxime expositi. Ad suscipiendum igitur morbum quaedam praedispositio neganda non est. Siquidem contagia vel attactu, vel ad exiguam distantiam ab infectis corporibus emissa in alia corpora introducuntur, haec praedispositio

Digitized by Google

vel a conditione cutis, vel ab actione vasorum absorbentium pendere videtur. Ubi enim cutis, aut saltem epidermis est nimis crassa, et densa; et ubi deficit absorbendi potestas, non facile excipiuntur contagia. Certo praefiniri non potest, an magis robusti, aut debiles haec hauriant; sed observationes comprobare videntur, magis ab his pervadi debiles, ut foeminae, et pueri sunt. Quoniam autem in statu morboso saepe vasorum absorbentium augetur actio, hinc frequenter miliari exanthemate puerperae, homines aliquo morbo laborantes, vel copiosis haemorrhagiis fracti implicantur. Effecta vero contagiorum sunt promptiora, ubi ingens est sensibilitas, et fibrarum irritabilitas, quia earum reactio major est.

§. 576. Generatim miliaris morbus gravis, periculosus, et fallax est. Ast nihil est in hoc tam universale, ut semper aliquid certi praenuntiare possimus. Varia enim temperamenta, epidemica constitutio, praepostera medendi ratio, faci-

Digitized by Google

lis exanthematis retrocessus rerum statum saepe immutant. Tamen in efformando judicio quaedam habeantur praecepta, scilicet prius morbi varietas, symptomata, externae pustularum proprietates; deinde foenomena, quae in ejus decursu contingunt, respiciantur. Si morbus benignus, et regularis sit, non tam portendit discrimen; malignus vero periculosissimus. Larvatus, et complicatus plus quam simplex in periculum conjicit, praesertim si complicatio cum morbis gravissimis obveniat. Inter vero symptomata alia sunt infausta, et gravem viscerum affectionem denotant; alia bonum exitum promittunt. È primis sunt summa virium debilitas; febris ardens; cutis arida, urens; urinae tenues, copiosae, aut paucae, luteae, aut turbidae; delirium; convulsiones; vigiliae; aut somnus inquietus, interruptus, vel profundus, et lethargicus; cephalalgiae; pectoris oppressio; dolor pleuriticus cum tussi, et respiratione difficili; suspiria; animi deliquia; involuntariae lacrymae; eruptio

Digitized by Google

pustularum interrupta, aut earum retrocessus; faucium dolor cum aphonia, et circa eas aphthae, et ulcuscula cinerea, aut nigra; halitus foetens; linguae tremor; singultus; nausea; vomitus materiei serosae, aut biliosae, hypochondriorum distentio; tumor indolens abdominis; peticularum efflorescentia; pulsus irregularis, parvus; tendinum subsultus; sudores profusi, frigidi; diarrhoea immodica, serosa, et vires prosternens; oculi tristes, defixi, aut mobilissimi, et scintillantes; extremitatum frigus; etc. Spectant ad fausta signa, vires validae; febris mitis; respirationis libertas; cutis mollis, humida; regularis pustularum eruptio; sudores modici, calidi, universales ante, et post eruptionem; secretiones, et excretiones omnes libere, et cum levamine peractae; pulsus regularis; moderatus alvi fluxus. Quoad autem externas pustularum miliarium proprietates, quamvis a colore nil certi decerni potest, tamen illae rubrae aut ut benignae habentur, aut albis praeferuntur. Albae

Digitized by Google

etiam melioris notae creduntur, si earum inferior margo rubeat. Contra malae existimantur pellucidae, aquosae, luteae; pessimae copiosae, et confluentes. Si observatio quorumdam foenomenorum, quae in decursu morbi contingunt, ad statuenda praesagia conducit, optimo jure sperandum est, si pustularum miliarium eruptio non sit nimis sollicita, sed regularis; si post eam mitescant omnia symptomata; si valeant vires; si materia miliaris ad exteriora feratur. Eruptio vero pustularum per plura conamina absoluta morbum fore longum ostendit. Ast quamvis eruptio regularis sit, non raro eveniunt improvisae pustularum retropulsiones, et metastases; siquidem nullum est exanthema tam ad retropulsionem proclive, quam miliare. Hoc enim interdum, etiam regulariter procedens, repente lethale evadit, et post paucas horas mortem affert; quod nisi per miliaris materiei metastasis ad nobiliora viscera exponi non potest, ut ipsae pustulae denotant, quae improvisa subsidunt, et deli-

Digitized by Google

tescunt; et eodem tempore quaedam feralia symptomata, ut delirium, convulsiones, syncopes, pectoris oppressio, suffocatio, pulsus intermittens, inaequalis. Frequentior vero est retropulsio, cum exanthema maturitati propius est. Aliquando retropulsae pustulae redeunt, sed pejores. Sudores, urinae, dejectiones utiles sunt, si modum non excedant, si bonae sint qualitatis, si levamen symptomatum afferant. Interdum supervenit narium haemorrhagia, quae juvat, si larga sit; funesta, si stillae sanguinis tantum appareant. Semper mala judicatur in puerperis diarrhoea, quia pustularum eruptioni, et fluxui lochiorum officit. Copiosus vero fluxus materiae foetidae ex genitalibus cum remissione febris aliquam spem salutis impertit. Observant auctores, timorem in hoc morbo esse funestum, quod Burserius propria experientia hisce verbis §. 414. confirmavit = Pavor autem, timorque iste inter deterrima signa numerandus est. Pluries equidem vidi aegros repentino timore mortis

Digitized by Google

corripi, quandoque sine aliis pravis signis, quod in primis nocte evenire solet, et quinque vel sex horis post eos mente motos, deliros, convulsos, et vehementer cum pulsu magno, valido, et frequentissimo febricitantes, citissime demum vita exui, quin interdum miliares pustulae subsederint, aut evanuerint. = Interdum ptyalismo miliaris morbus feliciter solvitur, sed rarius, ut adnotavit Ludwigius. Quod de reliquis signis modo faustis, modo infaustis auctores dicunt, ut plurimum reliquis acutis morbis commune est.

§. 577. Pro recta miliaris exanthematis curatione sedulo ejus varietates distinguendae sunt. Si enim benignum, et simplex sit, nullo eget medicamine, ac solae regulae diaeteticae satis sunt. Si vero malignum, complicatum, larvatum, ars in auxilium vocanda est. Dum autem haec requiritur, praecipuum praeceptum est, vitae vires, motusque ita regere, ut nec excedant, nec deficiant. Idcirco si febris moderata sit, in hoc servetur

Digitized by Google

moderamine, ut inquit Ludwigius inst. med. clin. part. 1. §. 221; si justo mitior, et universalis reactio torpeat, apto stimulo prudenter incitetur; si nimis vehemens, ita refrenetur, ut ad moderamen reducatur. Hoc posito, sanguinis missio non expedit, nisi plethora, inflammatoria symptomata, alicujus consuetae excretionis suppressio eam postulet. Ubi autem aliqua suppetat ratio, non solum in primo, sed etiam in secundo morbi stadio, praesentibus licet pustulis, sanguis extrahi potest. In puerperis, quibus lochia subsistunt, saepe vena vel brachii, vel pedis secanda est; sed si ob virium languorem venae sectionis utilitas dubia est, verendis partibus applicentur hirudines. Hae autem etiam juvant aut iisdem partibus, aut venis haemorrhoidalibus, aut temporibus applicitae, si menstrua, aut haemorrhoidalis fluxus deficiat, aut capitis dolor, et delirium urgeat, praecipue si generalis sanguinis missio anceps sit. Circa autem cucurbitularum applicationem valde dissentiunt practici,

Digitized by Google

Alii enim asserunt, nocuas; alii utiles, imprimis cruentas, expertos fuisse. Verum quamvis cucurbitulae opem afferre possint, ob refrigerationis periculum vix unquam sunt adhibendae; nam nullum est exanthema, cui tam obsit frigus, quam miliare. Sic antiphlogistica generatim conveniunt, si adsit hypersthenica diathesis, ut decoctiones hordei, radicis althaeae cum oxymelle et aliquot granis stibii diaphoretici, infusum florum sambuci cum spiritu mindereri. Ubi locatur aeger libere circulet aër, qui vero nimis frigidus non sit. Etiam disceptatur, an evacuantia idonea sint; sed quin oppositas scriptorum opiniones exponamus, de horum usu indubia praecepta tradimus. Si circa ventriculum cumulentur saburrae, mite emeticum inter morbi initia porrigatur, quod potius ad nauseam ciendam valeat. Hoc dum blande educit sordes, exanthematis expulsionem promovet. Si vero impuritates praegravent intestina, magis conducunt purgantia lenia, etiam in puerperis, ut cremor tartari, rhabar-

Digitized by Google

barum, manna, pulpa cassiae, serum tamarindatum, sal glauberianus, etc. Cavendum autem est a purgantibus cum pustulae efflorescunt; sed hisce exiccatis, ad residuas impuritates, et morbi reliquias per intestina expurgandas, evacuantia juvant. In toto morbi curriculo maxime accomoda, et tuta sunt enemata emollientia, potissimum si alvus nimis adstricta sit. Quaestio etiam de vesicantium usu agitatur; nam alii hunc vituperant, alii laudant. Verum donec miliaris morbus indolem inflammatoriam praeseferat, a vesicantibus abstinendum. Ita de remediis acidis, et alcalinis certatum est; dum utraque secundum morbi conditiones possunt, et non possunt expedire. Acida enim vegetabilia locum habent, si calor, et febris vehemens sit; intensius vigeant vitae vires; bilis aestuet; nimia sit fibrarum irritabilitas; fluida ad liquescendum propendeant. Si vero adsit diathesis hyposthenica; langueant vires, et deficiant, alcali volatile, camphora, cortex peruvianus, decoctio serpentariae vir-

Digitized by Google

ginianae, opium, vinum, epispastica in usum vocari possunt. Ast hujusmodi remedia multa cum cautela exhibeantur, quippe quae maxime nocent, quamdiu morbi status inflammatorius persistit. Nescio quomodo a quibusdam possint aspertiones frigidae, aut applicationes linteorum aqua frigida madidorum ad extremitates commendari, cum nemo dubitet, quam in miliari exanthemate frigus nocuum sit.

§. 578. Cum pustularum miliarium retrocessus frequenter contingant, et hinc gravissima saepe producantur foenomena, ad eas extrorsum revocandas, apta remedia usurpanda sunt. Haec autem varia esse debent, prout varia est caussa, a qua retrocessus procedit. Si igitur regimen nimis calefaciens; immodicus externus calor; plethora; violenta febris in caussa sint, applicatio hirudinum; potiones diluentes, aquosae, nitrosae; aëris renovatio; imminutio indumentorum opem ferunt: si actio frigoris, potiones calidae, et leviter diaphoreticae; fricatio-

Digitized by Google

nes cum panno laneo; fomenta humida, et calida apta sunt: si virium defectio, sub qua pulsus debilis sit, excitantia, ut secundum Ludwigium op. cit. §. 222. essentia alexipharmaca Sthalii, liquor cornu cervi succinatus, medicamenta camphorata, et cum his infusum calidum scordii, vesicantia ampla, praecipue si opprimat sopor, nuchae, brachiis, suris applicita: si terror, aut aliud animi pathema, quod motus convulsivos etiam inducat, eligantur, quae hos sedant, et ad cutem alliciunt exanthema, ut infusum chamomillae, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, tinctura castorei, laudanum liquidum Sydenhamii, opium.

§. 579. Quoniam in morbi curriculo saepe gravia superveniunt symptomata, haec quidem negligenda non sunt. Si itaque convulsiones, singultus, anxietas, oppressio pectoris cum contractione pulsuum corripiant, adhibeantur antispasmodica; si delirium, hirudines temporibus, aut haemorrhoidalibus venis, cucurbitula magna scarificata occipiti, vesicantia ca-

Digitized by Google

piti, femoribus, aut suris, sinapismata plantis pedum applicentur, etiam pedum balnea, aut fomenta fiant, et danda sunt anodyna; si vigilia, narcotica levia administrentur; si diarrhoea pustularum eruptionem impediens, viresque prosternens, juvant quae eam cohibent, ut theriaca, diascordium, et levia diaphoretica, quae morbidas materias versus intestina confluentes, ad externam corporis superficiem adducunt; si summa virium dejectio, non omittantur excitantia, ut cortex peruvianus, camphora, radix serpentariae virginianae, contrayervae, vesicantia, cardiaca, vinum. Denique observandum est, quod si diarrhoea vires non sternat, comprimenda minime est, secus gravissima mala, et exitium ipsum consequi potest.

§. 580. Si miliaris morbus sub aliorum morborum larva aggrediatur, aut cum aliis morbis complicetur, curatio naturae simulati, et complicati morbi, ac miliaris exanthematis accomodanda est. Quamobrem in primo morbi stadio varia adhi-

Digitized by Google

beantur medicamina, prout indicantia postulant; deinde secundum praecepta tradita miliare exanthema curandum est. In mulieribus recens enixis ob puerperii complicationem saepe miliaris morbus gravioribus symptomatibus stipatur, et indolem malignam induit. Ratio igitur habenda est ad lochiorum fluxum, gastricas sordes, inflammationes uteri, aliorumque viscerum, quae in puerperis hoc morbo affectis saepe complicantur. Si enim subsistant, aut imminuantur lochia, sanguinis missiones, fotus emollientes, potiones aperientes; si primae regiones impuritatibus scateant, enemata, et eccoprotica; si febris, diathesis inflammatoria, viscerum inflammationes urgeant, venae sectiones, levia laxantia, enemata, potiones temperantes cum nitro in auxilium vocentur.

§. 581. Aër cubiculorum, in quibus collocantur aegrotantes, temperatus servetur, prudenterque renovetur, ne pravis halitibus inficiatur. Secundum regulas pro peticulari exanthemate expositas,

Digitized by Google

suffitus fiant vel nitrici, vel muriatici; et eaedem adhibeantur cautelae, ne propagetur contagium, ac protinus extirpetur. Victus sit tenuis, satis ad sustentandas, reficiendasque vires idoneus. Etiam in puerperis idem sit sub morbi initio; sed liberarior in progressu, praecipue si nimiae evenerint evacuationes, et morbus in longum trahatur. Haec diaetae regula secundum morbi vehementiam; aegrotantium consuetudinem, et aetatem; regionem; anni tempora varianda est.

GENUS SECUNDUM

Variolae.

§. 582. Variolae constituunt exanthema semper primarium, et contagiosum, cujus pustulae plerumque phlegmonodes, praevia febre cum vomitu, et epigastrii dolore, a tertia morbi die ad quintam, prius in facie, et collo, mox in pectore, aliisque partibus egrediun-

Digitized by Google

tur, et ad pisi magnitudinem perveniunt, ac intra octo dierum spatium in suppurationem, et in crustas abeunt, in cute vel maculas rubras sensim evanescentes, vel indelebiles foveas relinquentes. Interdum variolae tam mites, et benignae sunt, ut vel nulli, vel vix sensibili febri conjungantur. Nostris temporibus inutilis esset quaestio, an variolae Hippocrati, reliquisque veteribus innotuerint; nam plerique conveniunt, eas solis Arabibus anno 572. notas, et ab Aegypto, interioribusque Arabiae regionibus sub finem saeculi noni, et initium duodecimi a Saracenis in Hispaniam transvectas, et deinde per universam Europam propagatas fuisse. Europaei autem in Americam hanc protulerunt luem, qua eatenus fuerat immunis. Innumeri extant variolarum scriptores, sed ex his primus Rhazes est.

§. 583. Multae a nosologis statuuntur variolarum differentiae, quae ab earum procedendi modo; symptomatibus; indole; spontanea, vel artificiali origine;

Digitized by Google

simplicitate, vel complicatione; pustularum numero, forma, duritie, et liquido, quod in his continetur; natura comitantis febris deducuntur. Ideo dicuntur epidemicae, quae universim grassantur; sporadicae, quae paucos corripiunt: legitimae, aut verae, quae consuetis symptomatibus absolvunt cursum, et a secunda infectione ut plurimum immunitatem largiuntur; illegitimae, aut spuriae, quae sunt leves, breves, prima aut altera die super cutem sparsim prominent, sine nulla, aut exigua praecedente febre, et a veris variolis non praeservant: regulares, quae praefinito ordine per sua stadia decurrunt; contra irregulares: benignae, quae mitioribus; malignae, quae gravioribus stipantur symptomatibus: spontaneae, quae sponte; artificiales sive insititiae, quae ab inoculatione nascuntur: simplices, quae aliis morbis non conjunguntur; contra complicatae: discretae, quae tam distinctae sunt, ut adnotabile spatium in cute liberum relinquant; cohaerentes, quae cohaerent;

Digitized by Google

confluentes, quae confluunt; corymbosae, quae racematim junctae, quasi corymbos effingunt; crystallinae, sive lymphaticae, quae lente crescunt, et humorem serosum, pellucidum, acrem, rodentem, contagiosum continent, ac ad maturationem non perveniunt; siliquosae, quae ad crystallinas pertinent, sunt molles, concavae, et vel ob resorptum, vel ob diffusum liquorem, quo replebantur, vacuae; verrucosae, quae sunt durae, distinctae, tenaciori muco refertae, in suppurationem non abeuntes; sanguineae, quae humorem sanguineum includunt; gangraenosae, quae sunt nigrae, sensu carentes, et indolem gangraenosam proferentes: inflammatoriae, gastricae, typhodes, putridae, quae febre, et symptomatibus inflammatoriis, gastricis, nervosis, putridis, scilicet dissolutionem sanguinem, et humorum, eorumque ad corruptelam proclivitatem denotantibus consociantur. Praeterea adnotandum est, quod aliquando dantur variolae sine variolis; nimirum a suscepto variolarum

Digitized by Google

contagio evolvitur variolosus morbus cum omnibus propriis symptomatibus, pustulis exceptis. An vero dentur internae variolae, quaestio est non adhuc definita; nam licet plerique eas negent, nonnulli admittunt. Etiam animadvertendum est, quod a quantitate, et qualitate pustularum in facie erumpentium, praecipue variolarum gravitas, et an ipsae discretae sint, vel confluentes deducitur. Si enim pustulae faciei, ut inquit Burserius, confertissimae sint, et paucae in reliquo corpore ad confluentes; si contra rarae sunt in facie, et crebrae in aliis partibus ad discretas magis accedunt. Hisce praemissis, prius quam de expositis variolarum differentiis breviter loquamur, aliquid de temporibus quibus componitur morbi cursus, dicendum est.

§. 584. In quatuor tempora seu stadia variolarum cursus dividitur. Primum, quod a Sydenhamio separationis, ab aliis invasionis dicitur, cum febre orditur, et ad eruptionem usque pustularum extenditur. Secundum, quod eruptionis voca-

Digitized by Google

tur, tertia, aut quarta die, aut serius incipit, cum scilicet pustulae aut in facie, aut in reliquis corporis partibus primum efflorescunt. Tertium, quod suppurationis appellatur, inchoat octava, aut nona die, cum pustulae in suppurationem transeunt. Quartum, quod exiccationis nomine distinguitur, initium sumit decima, undecima, aut duodecima die, cum pustulae siccescunt, et in crustas, sensim decidentes, abeunt. Cum morbus regularis est, hujusmodi tempora descripto ordine se excipiunt, et totum morbi curriculum intra spatium sexdecim dierum peragitur.

§. 585. Quoniam variolae sive discretae, sive confluentes sint, modo benignam, modo malignam exhibent indolem, prius de benignis, mox de malignis variolis verba faciemus. Primum illarum stadium per aliquot dies eruptionem praecedens, incipit a febre ut plurimum cum frigore, aut rigore, quem sequitur calor cum lassitudine, siti, dolore capitis, dorsi, lumborum, epigastrii, inappetentia, nausea, oris amaritie, vomitu, alvo cla-

Digitized by Google

usa, rubore oculorum, lacrymatione, tussi; vespere autem exasperatur febris cum inquietudine, anxietate, jactatione. Secunda, aut tertia die omnia symptomata ingravescunt. Paullo ante eruptionem saepe superveniunt, praesertim in infantibus, convulsiones, epileptici insultus, pervigilium, delirium, frequentes sternutationes, erumpente exanthemate, cessantes. Hoc stadium juxta majorem vel minorem benignitatem morbi, aetatem, et constitutionem aegrotantis varium est. Etenim aliquando febris, et symptomata nullius momenti, aliquando graviora sunt. Secundum stadium tertia, aut quarta die incipit, cum prius in facie, collo, pectore, et successive in ventre, dorso, extremitatibus parvae maculae, rubrae, supra cutim non elevatae, pulicum morsibus similes, efflorescunt. Hujusmodi maculae altera die formam pustularum assumunt, quae quo pauciores sunt, eo magis elevantur. Hae autem pustulae sunt rotundae, duriusculae, rubrae, quarum basis dum ampliatur, circumposita cutis

Digitized by Google

rubescit, intenditurque. Tertia die acuminati fiunt apices, albescentes, aut pallescentes, dum adhuc pustularum ambitus rubet, calet, tumet. Includitur in apicibus tenuis liquor, qui paullatim flavescit, et suo tempore in pus convertitur. Sub hoc eruptionis stadio dolent collum, oculi, fauces; intercipitur urina; adstringitur alvus. Paullo post inceptam pustularum efflorescentiam imminuitur febris cum omnibus symptomatibus; ea vero peracta, omnia cessant. Hinc redit somnus, ciborum desiderium, vires, hilaritas. In adultis manat sudor, in quem usque ab initio proclives sunt. Hic vero sudor desinit suppurationis tempore, cum a tumore cutis, ejus clauduntur spiramenta. Sexta, aut septima die cum pustularum suppuratione incipit tertium stadium. Tum exacerbatur febris, si quieverat; aut remeat, si cessaverat. Itaque celerior fit pulsus; cum inquietudine, et vigilia augetur calor. Elatae pustulae albescunt in apicibus, et earum spatia inflantur, manifestiusque rubent. Hujusmo-

Digitized by Google

di tumor primum faciem, et manus occupat, et ab inflatis palpebris clauduntur oculi, et a naribus tumefactis liber aëris aditus impeditur. Octava, aut nona die pustulae flavescunt, et saepe adeo molestat pruritus, ut aegri, praesertim pueri, pustulas ipsas, et cutim unguibus scalpant. Dein pustulae in crustam abiturae fuscantur, dehiscunt, et densam materiam lemis palpebrarum similem effundunt. Observare debemus, quod ubi pustulae paucae sunt, nec recrudescit, aut redit febris, nec facies, palpebrae, nares, et manus tument. Absoluta vero suppuratione, febris, aliaque symptomata recedunt, et saepe lenis, et universalis sudor emanat. Quartum stadium incipit decima, aut undecima die, cum detumescit facies; sed adest tumor in manibus, pedibusque. Pustulae vel rumpuntur, et ab his effunditur purulentus liquor, ac deinde arescunt; vel nigrescunt, et in crustas abeunt, quae decidunt, et per multas dies remanent maculae rubrae. Hisce vero evanescentibus,

Digitized by Google

cutis naturalem colorem adipiscitur. Artuum pustulae utpote serius prodeuntes, et suppurantes, sic reliquis serius exiccantur. Ubi pustulae magnae sunt, et lente arescentes, saepe post se foveolas in cute relinquunt; ubi vero parvae, paucae, cito suppurantes, et arescentes, nulla supersunt vestigia, exceptis maculis rubris, sensim abeuntibus.

§. 586. Variolae malignae, sive discretae, sive confluentes, non solum gravioribus, et saepe inter se repugnantibus symptomatibus, sed etiam ab omnibus malignitatis notis distinguuntur. In hac etiam exponenda variolarum specie uniuscujusque stadii persequamur foenomena. Adnotantur in primo stadio magna virium debilitas; anxietas; praecordiorum gravitas; dolor capitis, pectoris, lumborum; vigilia, aut profundus sopor; mentis aberratio, delirium; febris violenta, aut exigua; pulsus aut validus, et frequens, aut parvus, contractus, debilis, inaequalis, celer; calor aut ardens, aut mitis; sitis aut flagrans, aut non percipienda,

Digitized by Google

etsi arescat lingua; respiratio inaequalis, crebra, laboriosa, suspiriis interrupta; nausea, cibi fastidium, vomitus, diarrhoea; convulsiones; subsultus tendinum; lipothymiae; urinae modo aqueae, modo acres, modo turbidae; subinde in hoc stadio, subinde in altero ad collum, pectus, brachia exanthemata, ut peticulae, pustulae miliares, aut maculae nigrae, lividae comparent. Ut plurimum secundum stadium incipit tertia, aut quarta die, sed ut in benignis regulare non est. Pustulae enim non intra unius diei spatium, sed lente, et interrupte aliae quinta, aliae sexta die egrediuntur; ideoque aliae prius, aliae postea augescunt, et ad maturitatem tendunt. Interdum pustulae circa magnitudinem, formam, colorem a benignis non distant; sed plerumque ab his maxime recedunt. Aut hae numerosae sint, aut discretae, saepe inter se dissentiunt; nam aliae majores, aliae minores sunt, et non elevatae; quaedam sunt acuminatae, quaedam depressae in medio, seu umbilicatae; aliae

Digitized by Google

pallidae, aliae fuscae, aliae pellucidae, vesiculas sero repletas referentes. Harum pustularum eruptio intolerabilem infert pruritum. Post eam febris non desistit, imo cum omnibus symptomatibus saepe gravior fit. Hinc coma, vigilia, delirium, diarrhoea, ingens faciei et palpebrarum tumor, inflammatio faucium, deglutitio laesa, vox rauca, eruptio aliorum exanthematum, acris salivae profluvium in adultis, alvi fluxus in infantibus, pulsus debilis, labefactatio virium, lipothymiae, convulsiones adeunt. Posteaquam pustulae usque ad octavam, aut nonam diem augmentum susceperunt, sequitur tertium stadium, seu suppuratio, quae aliquando, licet tardior, ab illa benignarum variolarum parum differt; nam modica est febris, deficiunt lethalia symptomata, et perfecte absolvitur: ast plerumque suppuratio bona non est; siquidem pustulae ad maturitatem non perveniunt, quamvis foenomena suppurationis non desint. Saepe tanta est irritatio ab ingenti materiae variolosae copia, et ab ejus

Digitized by Google

imperfecta eliminatione proveniens, ut vehemens febris, spasmi, convulsiones, et alia gravissima symptomata suscitentur, ut delirium, sopor, stupor, anxietas, respiratio laboriosa, oris siccitas, inflammationes pectoris, faucium cum praefocationis discrimine. Pustulae humore plenae modo flavidae fiunt; modo nigrae, et gangraenosae; modo vacuae, quin hanc inanitatem aliqua utilis evacuatio suppleat, ut ptyalismus in adultis, in infantibus diarrhoea. Interdum ob naturae virium defectum nulla fit pustularum suppuratio; et tum supervenit delirium, respirandi difficultas, et alia lethalia symptomata, et mors. Saepissime in hoc stadio peticulae, et alia maligna exanthemata comparent. Saepe etiam pustulae aut scalpendo, aut sponte dehiscunt, et humorem subnigrum, et foetidum emittunt. Quandoque quartum stadium, seu exiccatio feliciter expletur; sed saepius id non obvenit. In facie, aliisque partibus crebro formantur crustae latae, subnigrae, tenaciter adhaerentes, quae tandem de-

Digitized by Google

cima septima, aut vigesima die, aut tardius delabuntur, et frequenter in cute foveas plus minusve profundas, foedasque cicatrices in facie relinquunt, quod praecipue in variolis malignis confluentibus usuvenit. Febris imminuitur, sed non cessat. Interdum fit continua remittens, donec evanescat; interdum lenta. Saepe sub crustis latitat pus, quod expedite absorbetur, et aliquando prospere per urinas, aut per alvi fluxum expellitur; aliquando periculosissimae metastases contingunt, cum scilicet pus ad viscera transiliat; aliquando ad glandulas, et telam cellularem transvehitur, et hinc in variis partibus nascuntur tumores prompte in abscessum abeuntes, ex quibus apertis aut verum pus, aut sanies erodens profunditur; aliquando partes cuti subjacentes, praecipue textum cellularem exedit, et adipem corrumpit, unde ulcera maligna producuntur, et nonnunquam ossa inficiuntur carie. Alia etiam sunt mala insanabilia, quae inde sequi possunt, ut coecitas, surditas, paralyses, etc. Inter-

Digitized by Google

dum post exiccationem minutae, et distinctae variolae resurgunt, quae a contagii reliquiis proveniunt, a practicis secundariae, aut rèpullulantes vocatae.

§. 587. In expositis malignarum variolarum stadiis alia saepe occurrunt gravissima foenomena, ut dolores fixi aut in pectore, aut in ventriculo, aut in hypochondriis, aut in articulationibus; viscerum inflammationes; sopores profundi; haemorrhagiae; ischuria; saliva, quae ob crassitiem et visciditatem difficile excernitur, et suffocationem minitatur; summa anxietas; sitis ardens; vehementissima tussis, quae in hauriendis potionibus excitatur, unde earum portio aut in laryngem introducitur, aut per nares redditur; vox fit rauca; supprimitur ptyalismus; detumescit facies; pallidior fit cutis, et hinc inter alia lethalia symptomata accedit mors. Saepe febris tempore suppurationis mimis augetur, et indolem modo gastricam, modo inflammatoriam, modo nervosam assumit. Violentia febris a quantitate pustularum, ab absorptione

Digitized by Google

puris, a concursu et efficacia plurium caussarum proficiscitur. Diversa autem febris indoles ab epidemica constitutione, anni tempestate, aegri temperie, aetate, vitiis humorum, aliisque caussis ortum habet.

§. 588. Pertinent ad variolas malignas illae species, quae crystallinae, siliquosae, verrucosae, sanguineae dicuntur; siquidem nunquam maturitatem attingunt, omnibusque malignitatis symptomatibus distinguuntur. Crystallinae nunc discretae, nunc confluentes sunt. Siliquosae, quae ad crystallinas spectant, cito lethalia inferunt symptomata, si humor, quo exhauriuntur, aut a disruptis pustulis non effundatur, aut per salivam, urinam, sudorem, alvi fluxum non eliminetur, sed aliquod viscus invadat. Verrucosae interdum attinent ad variolas benignas; sed tum carent malignitatis notis. Sanguineae, quae etiam gangraenosae, aut putridae vocantur, modo in initio, modo in progressu, nempe circa suppurationis stadium, pustulas offerunt aut

Digitized by Google

purpureas, aut lividas, et his adjunguntur maculae nigrae, phlyctaenae, vibices, peticulae, et alia exitiosa foenomena, ut ex variis partibus corporis profluvia dissoluti sanguinis, quae coerceri nullo modo possunt.

§. 589. Variolae inflammatoriae, quae saepius in temperamentis plethoricis contingunt, ab acuta febre; ardore cutis; pulsu duro, pleno; respiratione calida, magna, laboriosa; immiti dolore capitis, dorsi, lumborum, artuum; ingente siti; siccitate linguae; rubore faciei, et oculorum, urinis flammeis; violenta pulsatione carotidum, et temporalium; educto sanguine partibus serosis orbato, et crusta phlogistica tecto; viscerum inflammationibus deprehenduntur. Variolae gastricae notantur febre gastricae indolis, et plurimis signis, quae primarum regionum inquinamenta, et vermes manifestant, ut oris amarities; sordida lingua; pravus halitus; acidi ructus; vomitus; dejectiones foetidae, virides, luteae, cinereae cum vermibus; tormina; narium pruri-

Digitized by Google

tus; dilatatio pupillae; sternutamenta; fugaces genarum rubores; stridor dentium; convulsivi motus; somnus pavoribus interruptus. Nervosae variolae cognoscuntur a febre nervosae naturae, quae plerumque inter initia benignitatem simulat; irregularibus stadiis; symptomatibus gravibus, anomalis, sibi non respondentibus, ut sunt summa debilitas; calor modicus, et interdum naturali minor, dum ardent internae partes; continuae vicissitudines frigoris, et rigoris; pulsus debilis, parvus, inaequalis, celer; pauca, aut nulla sitis, etsi lingua arida sit; facies, et tota corporis superficies pallet; urina aquea; sensuum hebetatio; capitis gravitas; vertigines; vomitus; lethargicus sopor, aut vigilia; mentis alienatio; stupor; tremores artuum; assidua labiorum motio; distorsio vultus; constricta gula; vox debilis; impedita loquela. Ut plurimum retardatur pustularum eruptio, quae nec satis elevantur, nec formam regularem habent, nec pure adimplentur. Hae saepe vesicas referunt pal-

Digitized by Google

lidis, vel livescentibus marginibus circumdatas, aut sanie, aut aquoso latice, aut etiam cruento refertas. Saepe etiam cum istis erumpunt maculae lividae, et peticulae, maxime in pectore, abdomine, extremitatibus. Pustulae, quae neutiquam ad maturitatem adveniunt, in crustas nigras, et horridas abeunt, quae faciem contegunt, et defoedant. Descripta symptomata sunt plus minusve gravia secundum majorem, vel minorem morbi ferociam. Plerumque post pustularum eruptionem haec ingravescunt, aliaque superveniunt, scilicet omnino prosternuntur vires; pustulae subsidunt; pulsus magis evadunt debiles, et irregulares; respiratio difficilior; vox debilior; vomitus frequentes, et irriti; dejectiones; haemorrhagiae; convulsiones; frigida cutis; et tandem aeger expirat. Variolae, quae etiam a recentioribus dicuntur putridae, dissolutionis sanguinis, et humorum offerunt evidentia signa, ut sunt odor teterrimus animae, sudoris, urinarum; solutus sanguis, qui ex variis locis exit, non

Digitized by Google

facile coercendus, unde penitus delentur vires; pulsus maxime debiles, molles; maculae nigricantes, et latae peticulae; pustulae variolosae nigrae, gangraenosae, sanguineae, ex quibus nullo negotio effunditur sanguis. Hujusmodi variolae ad malignas spectant.

§. 590. Cum variolae aliis morbis, tam acutis, quam chronicis adnectuntur, complicatae appellantur. Frequenter connubium ineunt cum aliis exanthematibus, ut sunt morbilli, scarlatina, erysipelas, peticulae; aut cum impetiginibus, ut sunt herpetes, psora, etc; aut cum febribus intermittentibus; aut cum tussi convulsiva; aut cum syphilide; etc. Quandoque hae complicationes contingunt in variolarum initio; quandoque in earum decursu; quandoque variolae aliis praeexistentibus morbis superveniunt. Interdum aliorum morborum connubium cum variolis non impedit, quominus hae cursum regularem peragant; sed frequentius earum stadia retardantur, et perturbantur, ut quotidiana experientia confirmat.

Digitized by Google

§. 591. Producuntur variolae a peculiari contagio, quod est ignotae originis, irritans, et inflammans. Mitiora, vel graviora effecta, quae ab eo scaturiunt, non ab ejus diversa natura, quae semper eadem est, sed a temperamento, et aetate aegrotantium; humorum indole; anni tempore; et epidemiae regnantis ingenio certe pendent. Interdum enim materies contagiosa a pustulis benignis sumpta, et in corpora introducta, variolas malignas parit. Sed ut plurimum variolae benignae reproducuntur, si insitio in pueris sanis, debitisque cautelis instituatur; contra si haec fiat in pueris cachecticis, aut aliis morbis obnoxiis. In illis enim contagium humoribus immixtum, et multiplicatum facilius secernitur, et ad cutem feliciter fertur; in his vero ab immixto, et aucto contagio pejores evadunt humores, enervantur solida, prodeunt gravissima symptomata, et pustulae malignae exoriuntur. Variis modis propagatur in sanos variolosum contagium, scilicet aegrotantium attactu; rerum infectarum

Digitized by Google

usu; litterarum commercio; inspiratione aëris halitibus variolosis referti; lanceola, qua secata fuit vena variolis laborantis, et inde non bene detersa; et artificiali insitione. Omnes homines ad variolas praedispositi sunt, et ipse foetus in utero matris abditus variolis aliquando corripitur, ut indubia docent observata. Major autem vel minor praedispositio efficit, quo promptius, vel tardius effectum exerat contagium. Sub quibusdam aëris qualitatibus, anni temporibus, temperamento, aetate hominum, quibusdam etiam animi pathematibus major est hujusmodi praedispositio. Infantes, et juvenes magis, quam adulti, et senio confecti ad variolas dispositi sunt. Tempore verno explicantur variolae, quae autem aestate debacchantur, autumno mitescunt, et ut plurimum extinguuntur hyeme. Interdum contagium variolarum per aliquot dies latet in corpore; interdum instar fulminis operatur, maxime aliquo adjuvante animi pathemate, ut inquit Joseph Franchius, qui part. prim. vol. 2.

Digitized by Google

prax. med. §. 66. n. 2. hanc observationem refert = Nobilissimam, aeque ac formosissimam foeminam variolas nec dum perpessam, ab earum inoculatione abhorrentem, et vaccinae insitionem procrastinantem cognovi, quae amicae pallium per jocum induens, ac in illius domo variolas regnare audiens, maxime inde et ad lipothymiam usque terrefacta, extemplo in stadium invasionis variolarum lethiferarum incidit. = An vero hujusmodi contagium altera vice eos afficiat, qui semel variolis laborarunt, in quaestione versatur; sed plerique auctores secundae infectionis possibilitatem non negant.

§. 592. Si variolae cum aliis morbis complicentur, aut naturam inflammatoriam, gastricam, nervosam, et putridam induant, id quandoque a caussis fortuitis pendet; sed ut plurimum a constitutionum epidemicarum ingenio, a diversis anni tempestatibus, et ab assiduis aëris vicissitudinibus. Etenim dum quaedam populariter aegritudines regnant, aut in

Digitized by Google

initio, aut in decursu variolarum apparent symptomata, quae affectionum epidemicarum indolem eis impertiuntur. Sic variis anni temporibus saepe variolae immiscentur morbis, qui illorum proprii sunt; ideo vere, et autumno cum affectionibus catarrhalibus; hyeme cum inflammationibus pectoris; aestate febribus biliosis, et intermittentibus complicantur. In hisce autem complicationibus saepe pervertitur consuetus variolarum ordo; nam stadia sibi non regulariter succedunt; augetur symptomatum gravitas; pustulae ad maturationem non perveniunt; aut pus bonas qualitates non praesefert; et plura diuturna mala consequuntur, ut oedemata, dum catarrhalis complicatio obvenerit.

§. 593. In formando variolarum praesagio quaedam teneantur praecepta. Imprimis observentur quae ante eruptionem imminentis exanthematis aliquo modo praenuntiant indolem; deinde quae sit morbi species, ab ejus facie, et symptomatibus deducenda; tandem foenomena,

Digitized by Google

quae in diversis stadiis aut spem, aut timorem injiciunt. Quamvis quidquid dici potest ante eruptionem de instantis exanthematis indole indubium non sit, nihilo tamen minus de ejus benignitate conjiciendum est, si aegri aetas opportunior sit, nempe a tertio vel quarto ad decimum quartum annum; optima corporis constitutio; validae vires; nulla adsit morbosa dispositio, ut scrophulosa, scorbutica, rheumatica; proprior sit anni tempestas, ut ver, et autumnus; non grassentur populares, gravesque aegritudines, ut gastricae, catarrhales, nervosae; epidemica variolarum constitutio regnans benigna sit; symptomata appareant mitia, quamvis cavendum est, ne sub simulata benignitatis imagine morbus decipiat. Ex adverso timendum est, si aetas sit nimis nativitate proxima, aut illa, in qua erumpere solent dentes, aut menstrua in puellis, aut senilis, quae pejor est; corporis habitus aut nimis macer, aut nimis pinguis; cutis valde arida, et dura; mulieres gravidae sint, aut

Digitized by Google

puerperae, aut menstruorum irregularitate laborent; adsint morbosae diatheses; gravia urgeant symptomata, ut stupor, somnus profundus, delirium, dolor capitis praecordiorum hypochondriorum lumborum, spasmi, convulsiones, sudores, ejectiones, et dejectiones profusae, haemorrhagiae narium, etc.

§. 594. Si variolae discretae sint, et benignae periculo vacant; contra malignae. Cohaerentes, aut confluentes, praecipue malignae, sunt discrimine plenae. Si adsint complicationes, observandum est, an graves, vel leves sint. Variolae sporadicae persaepe epidemicis benigniores sunt. Epidemicae vero vel benignae, vel malignae esse possunt. Variolarum epidemiae incipiunt adveniente vere, saeviunt aestate, mitescunt autumno. Ante vaccinae inventum hujusmodi epidemiae frequentes erant, et eo maligniores, quo diutius silebant. Inter variolarum species, inflammatoriae, quamvis periculosae, non tam ut nervosae, aut putridae ominosae sunt. Maxima tandem

Digitized by Google

pericula aegros circumveniunt, si variolae sanguineae, crystallinae, siliquosae, aut verrucosae malignae sint.

§. 595. Rarissime in primo variolarum stadio symptomata lethalia se produnt, si excipiantur casus, in quibus urgeat dentitionis difficultas, aut aliqua gravis complicatio. Tamen haec symptomata aut levia, aut gravia sunt, quae morbi benignitatem, aut malignitatem declarant. Spectant ad prima pulsus aequalis; respiratio expedita; levis capitis dolor; pauca sitis; urina colorata, sedimentosa; validae vires; quies; nullum cibi fastidium, licet in variolis benignis interdum non deest ciborum aversatio: ad altera gravis capitis, pectoris, hypochondriorum, et lumborum dolor; virium destitutio; pulsus vehemens, parvus, varius, inaequalis; respiratio difficilis, anhela; vigilia; sopor; delirium; convulsiones; profusi sudores; cibi fastidium; vomitus molestus, et frequens; jactatio; ventris tormina; urinae tenues; etc. Interdum variolae malignae sub be-

Digitized by Google

nignitatis larva corripiunt ; sed a solerti symptomatum indagine vera morbi indoles detegitur. Etenim quamvis febris modica appareat, et fallax alliciat quies ; tamen vires languent, nulla sub linguae ariditate molestat sitis, pulsus est parvus, debilis, inaequalis, urinae sunt tenues, emittuntur suspiria. Sed dum variolae aperte malignitatem sistunt, statim manifestantur lethalia signa, quae aut ante, aut paullo post exanthematis eruptionem mortem afferunt, ut extrema virium dejectio, peticulae, aut aliae efflorescentiae a dissoluto sanguine productae, convulsiones, tremor manuum, et pedum, haemoptysis, mictio cruenta etc. Animadvertendum vero est, quod in hoc stadio saepe contingunt convulsivi motus, qui si fugaces, et ab irritatione materiae variolosae erupturae producti, timendi minime sunt. Sic quandoque diarrhoea accedit, quae si a sordibus primarum viarum pendeat, et modica sit, ut utilis habenda est; nam per eam intestinorum saburrae eliminantur, quae

Digitized by Google

si in ipsis manerent, morbum pejorem redderent. Item in adolescentibus plethoricis haemorrhagia nasalis, et in puellis menstruorum fluxus saepe juvat.

§. 596. Si tertia, vel quarta die eveniat eruptio, et post eam aeger melius se habeat, mitescat febris, et symptomata, et pustulae maneant elevatae, bene praesagiendum est. Contra periculum denotat eruptio aut justo praecocior, aut tardior. Ubi pustulae non egrediuntur, facile corripit profundus sopor, aut delirium. Si paullo post eruptionem deprimantur pustulae, febris et symptomata augeantur, aut eamdem vim servent, aut alia gravissima superveniant, ut sopor, delirium, inflammatio cerebri, etc. periculum in propinquo est. Si variolosa materies adeo copiosa sit, ut etiam partes internas invadat, lethifera suscitantur symptomata, ut soporosi affectus, dolores immites, delirium, respiratio laboriosa, inflammationes. Ventris fluxus sub variolarum eruptione improbatur; tamen utilis

Digitized by Google

esse potest, si modicus, et per hunc egerantur intestinales saburrae.

§. 597. Optima judicanda est suppuratio regulariter procedens; cum scilicet prius in pustulis faciei, deinde in illis aliarum partium conficiatur pus, quod non cito flavescat, pustulasque adimpleat; cum hae in formatione puris sensibiles, dolentes, turgentes sint, et inter has inflammatio cutis persistat, quae autem sensim vanescat: contra, si pustulae et intervalla livescant, et palleant; illae insensibiles, flaccidae, et subsidentes in medio; pus aut cito flavescat, aut pravi coloris sit, aut paucum; et peticulae appareant. Inter fausta hujusce stadii signa tumor palpebrarum, et inflatio capitis usque ad undecimam diem adnumeratur. In variolis benignis vix tumet facies, aut ejus tumor aequalis est; in confluentibus vero valde plerumque intumescit, aut solum in palpebris, aut labiis observatur tumor, quod malum est. Lethale autem est signum, si extemplo detumescat facies, et salivatio, in adultis semper utilis,

Digitized by Google

non perseveret, aut manus, et pedes non tumefiant, aut alia copiosa excretio non succedat, qua variolosa materies expellatur. Hinc si collabuntur variolae, et non paullatim, sed subito vanescat feciei tumor, saepe etiam alvi fluxus, et urinarum abundans separatio fructuosa est. Salivatio autem est bona, si facilis, et fluida; periculosa si viscida, aut repente supprimatur. Convulsiones in infantibus maxime pertimescendae sunt. Ominosa est diarrhoea in variolis benignis, ubi non adsunt egerendae saburrae; sed in confluentibus puerorum haec per morbi cursum persistens utilis est, utpote aliquam materiei variolosae portionem detrahens. Etiam in adultis esse potest critica, sed rarius. Praeterea salutis recuperandae spem concipimus, si vires constent; exigua sit febris suppuratoria; somnus quietus, restaurans; respiratio facilis: rursus timorem incutiunt deficientia virium; violenta febris; respiratio difficilis, angusta; assiduus capitis dolor; oculorum rubor; delirium; anxietas; singultus; horrores;

Digitized by Google

rigores; ulcera fauciuni; graves, et persistentes ossium dolores.

§. 598. In variolis benignis, in quibus priora stadia belle progrediuntur, etiam exiccatio regularis est; nimirum pustulae, quae prius effloruerunt, primae exiccantur, deciduntque, deinde aliae; febris imminuitur; expedita est respiratio, et deglutitio; modice fluit alvus, et sine torminibus; nullum urget symptoma: sed in malignis, et irregularibus sub exiccationis stadio aut symptomata cito lethalia prodeunt, aut illa, quae residua mala praesagiunt. Interdum nulla peragitur exiccatio, aut sine ordine procedit, et dum aliae pustulae teguntur crustis, exurgunt aliae; aut tam diu sub crustis haeret pus, ut arrodatur cutis, et hinc foedae formentur cicatrices. Alvus soluta cum torminibus prosternit vires, aut pertinaciter clauditur; cutis est arida; lingua sicca, nigra, aphthis obsessa; sitis ingens; urina pauca, tenuis, intercepta; superveniunt convulsiones, delirium; involuntario dejiciuntur faeces, et urinae;

Digitized by Google

manant sudores profusi, viscidi, frigidi, partiales; gangraenosa ulcera occupant fauces. Interdum exterius sub variolarum fine formantur in glandulis tumores, qui si quantocius in suppurationem transeant, et aperiantur, non parum juvant; nam hoc modo virus variolosum excernitur: secus facile resorbetur pus, quod ad internas partes transvectum, producit abscessus, ex quibus ossa etiam exeduntur, et cariosa fiunt.

§. 599. Praeter foveas, et cicatrices, quae post variolas saepius per totum vitae cursum, praesertim in facie, remanent, et aliquando corporis augmento evanescunt, haud raro plura supersunt gravissima mala, ut inflammationes, suppurationes, fistulae, ulcera diuturna, morbi cutis, oedemata, tussis, consumptio, ossium caries, etc. Frequentiores sunt chronicae inflammationes oculorum, quas excipiunt fistulae lacrymales, maculae corneae, staphylomata, coecitas; inflammationes chronicae pulmonum, quibus succedunt tusses, suppurationes,

Digitized by Google

lenta febris; inflammationes glandularum lymphaticarum mesenterii, quas suppurationes, febris habitualis, consumptio sequuntur. Non raro etiam post variolas aures, et nares afficiuntur morbis, ut sunt ab illis fluxus materiei puriformis, in his ulcera diuturna. Sectione cadaverum inflammationis vestigia in cerebro, pulmonibus, mesenterio, aliisque visceribus reperiuntur, cujus praesentia ante mortem ab urgentibus, propriisque symptomatibus ut plurimum deducitur.

§. 600. Ut recte variolarum dirigatur curatio, opus est distinguere, quae sit earum species, an scilicet benignae; vel malignae; discretae, vel confluentes; simplices, vel complicatae; gastricae, vel inflammatoriae, vel nervosae, vel putridae: quae sint in unoquoque stadio symptomata, an scilicet levia, vel gravia, et an peculiaria poscant remedia. Si itaque variolae benignae, et discretae sint, in quibus febris, et symptomata mitia comparent, satis est disponere diaeteticum regimen. Quapropter pro infantibus

Digitized by Google

sufficit lac bonae qualitatis sugere ; et dum premit sitis , potiones diluentes , et refrigerantes haurire . Ut autem lac servetur bonum , herbis , piscibus , ovis sorbilibus , carnibus vituli , aut pulli se sustentet nutrix , quae vinum non sumat , aut multa aqua dilutum . Pro reliquis vero victus sit tenuis , in jusculis , et pulmentis consistens . Ast quia saepe non deficit inappetentia , et nausea , concedendi sunt fructus horaei , maxime poma , aut pyra cocta , et saccharo condita , utpote jucunda , et aegrotantibus accepta . Potiones sint refrigerantes , subacidae, ut ex aqua et succo mali medici , aut aurei , et saccharo ; emulsiones seminum melonum , aut amygdalarum dulcium . Hujusmodi potiones aestivo tempore naturaliter frigidae , hyemali egelidae hauriantur . Non amplius nostro aevo agitatur quaestio , an variolis laborantes statim decumbant , aut post eruptionem ; an deambulent ; an cubiculi aër sit saepe renovandus ; cum a diversa variolarum natura , anni tempestate , valetudine , at

Digitized by Google

aetate aegrotantium, et epidemiae ingenio omnia haec dependeant.

§. 601. In primo stadio, si variolae accedant ad inflammatoriam naturam, aut inflammatoriae sint, et viscera etiam inflammatione afficiantur, vena aperienda est. Si igitur vehemens sit febris; pulsus durus, plenus, magnus, celer, aut per nimiam sanguinis copiam obscurus; facies rubra, tumescens; calor ardens; cutis arida; oculi rubentes; respiratio laboriosa; dolor adsit capitis; sopor; delirium; sitis ingens; florida aetas; regnantium morborum inflammatoria indoles, omittenda quidem non est venae sectio; secus aut inflammantur viscera, aut libera impeditur variolarum eruptio. Haec vero in infantibus raro expedit; sed ubi adest plethora, et inflammationis signa, omnino necessaria est. Sed si a majoribus vasis fieri non possit, hirudines aut temporibus, aut retro aures, aut brachiorum venis, aut partium affectarum viciniis applicentur. Si post sanguinis missionem perseveret febris, et in-

Digitized by Google

flammatoria foenomena, potiones antiphlogisticae, diluentes, subacidae conveniunt; et ubi nimius sit ardor, et admodum cordis et arteriarum incitata irritabilitas, etiam potiones ex aqua et acidis fossilibus indicantur. Hae vero statim linquantur, ac modo exposita symptomata imminuuntur. Si alvus sit adstricta, ne in intestinis cumulentur excrementa, aut detur levis purgatio, aut aliquis clyster injiciatur. Si autem primae regiones sordibus, vermibusque scateant, et ea sit variolarum species, quae gastrica dicitur, observandum est, an emeticum, vel purgans conveniat, quod examine symptomatum, quae modo ventriculum, modo intestina sordescere indicant, et natura epidemicae constitutionis cognoscitur. Si vero emeticum ob aliquam caussam dari non possit, levis purgatio, aut clysteres suppleant. Ast semper cavendum est ab emeticis et purgantibus, si adsint inflammationis ventriculi, et intestinorum signa; aut si illa signa, quae gastrica videntur, ab irritatione, et nervorum ata-

Digitized by Google

xia procedant. Denique in vermes usurpentur anthelmintica, ut calomel, corallina maritima, semen santonici, et alia hujus generis. Si ab ipso initio variolae appareant typhodes, et maxime cordis, et arteriarum motus langueat, incitantia et cardiaca idonea sunt, ut infusum croci sativi, florum sambuci, foliorum scordii, decoctiones radicis scorzonerae, aut graminis, quibus exigua vini quantitas additur, et vinum ipsum calidum. Gaudeat aeger tepore lecti, et fugiat liberum, frigidumque aërem, potissimum si cunctetur eruptio, et periculum instet, ne jam efflorescentes peticulae, et miliaria retrocedant. Si frigidae sint extremitates, fomentationes aromaticae ex calido vino, et herbis aromaticis fiant. Ad sustinendas, reficiendasque vires jura cum ovorum vitellis, addito succo mali medici, porrigantur. Si ab initio ostendant signa dissolutionem sanguinis, et humorum, et variolae sint, quae putridae nuncupantur, imprimis expediunt antiseptica et roborantia, ut acida fossilia, cortex pe-

Digitized by Google

ruvianus, camphora, vinum generosum, aqua cinnamomi, tinctura acidi sulphurici aromatica, etc. Aër cubiculi saepe renovandus, ut purus, et subfrigidus conservetur.

§. 602. Frequenter in hoc primo stadio accedunt symptomata, quae medicamina quaerunt, ut convulsiones, et epileptici insultus, qui non cito evanescant, ut evenit in variolis benignis, et discretis, praecipue si nimia sit aegrorum sensibilitas, et immineat dentitio. Ideo ad hanc imminuendam sensibilitatem, resolvendosque spasmos, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, liquor cornu cervi succinatus, aliquod granum florum zinci, opium, laudanum liquidum Sydenhami, si non adsit plethora, et vires debiles sint, maxime juvant. Sed si hisce remediis resistant spasmi, epispastica plantis pedum, aut nuchae applicentur. Sic ante eruptionem saepe molestant vigiliae, vomitus, inquietudines, quae interdum sponte cessant, interdum persistunt, et augentur, et tum anodyna sufficiunt. Si

Digitized by Google

autem omnia signa indicent plethoram, et affligat dolor capitis, profundus sopor, encephalitis, sollicite instituantur sanguinis missiones, nec praetermittantur diluentia, antiphlogistica, pediluvia, sinapismata plantis pedum apponenda. Aliquando adest diarrhoea, quae modo refraenanda, modo sinenda est. Nam est utilis, ideoque adjuvanda, si a collectis saburris, faecibusque nascatur; perniciosa, et compescenda, si serosa, et colliquativa sit, ut in variolis malignis, ab irritatione intestinorum producta. In hanc itaque prosunt opium, et ex hoc composita, decoctiones hordei, et oryzae, lac ipsum cum decoctione hordei, aut aqua simplici dilutum, vesicantia, quae in aliis locis irritationem inferunt, et extus acres humores extrahunt. Ita dum haemorrhagiae contingunt, examinandum est, an salutares, vel damnosae sint. Si adest plethora, et variolae inflammatoriae sint, haemorrhagiae, nisi immodicae, opportunae judicantur, et minime cohibendae; si vero effraenes, a dissoluto san-

Digitized by Google

guine venientes, ut in variolis malignis, in quibus non raro sanguis vel ex naribus, vel pulmonibus, vel utero, vel urinae viis, vel ano effunditur, adstringentibus, et roborantibus, nimirum acidis fossilibus, sulphate aluminis, et potassae, sero lactis aluminoso, specifico Helvetii reformato, cortice peruviano, vino generoso, aqua cinnamomi, praecipue si vires nimis debiles sint, comprimantur. Si vero immoderatae haemorrhagiae eveniant in variolis inflammatoriis, ubi vires valent, et aegri plethorici sunt, venae sectione coerceantur. Si ante eruptionem praematuri, et effusi manant sudores, nimis debilitantes, et morbi ordinem pervertentes, prudenter reprimantur; idque assequimur, si moram extra lectum aegris praecipiamus; imminuantur stragula; cubiculi aër renovetur, ut semper purus, et subfrigidus sit.

§. 603. Versus cutim in secundo stadio variolosa materies propulsatur; hinc pustulae egredi incipiunt. Si eruptio, ut in benignis, regularis sit, post eam aut

Digitized by Google

incoeptam, aut absolutam, febris, et symptomata extenuantur, et quiescunt. Si vero pustularum efflorescentia retardetur, ut saepe in variolis malignis usuvenit, febris augetur, et symptomata graviora fiunt. Observandum autem est, quod retardatio eruptionis aliquando non pendet a natura, gravitate, et malignitate morbi; sed a caussis fortuitis, a quibusdam symptomatibus, a complicationibus, ut actione frigoris; imprudenti, et diuturna mora extra lectum; animi pathematibus, ut ira, tristitia, terrore; praepostera curatione; immodica diarrhoea; profusis sudoribus; complicatione gastrica; etc. Subinde tam perniciosus, et malignus est morbus, ut confestim deleantur vitae vires, et dissolvatur sanguis, ut pulsus debilis, parvus, exilis; cutis pallida, frigida; facies a statu naturali absimilis; immoderatae haemorrhagiae luculentissime patefaciunt. Hisce in casibus non absolvitur eruptio; nam si pustulae apparent, decolorae sunt, et statim effugiunt. Subinde a nimia sangui-

Digitized by Google

nis copia, et inflammatoria diathesi pustularum exitus retardatur, sicut pulsus magnus, durus; facies rubra; capitis dolor; respiratio difficilis retegunt. Itaque si eruptio regularis sit, sufficit tenuem victum, et diluentes potiones praebere; si irregularis, et tarda, porrigantur medicamina, quae hujus irregularitatis caussam subripere valeant. Igitur si pustulae variolosae ob nimiam virium debilitatem, et sanguinis liquationem non egrediantur, expediunt roborantia, cardiaca, adstringentia, ut cortex peruvianus, cortrayerva, camphora, exigua vini quantitas, acida mineralia. Si hisce remediis nihil obtinetur, imo pustulae non solum depressae manent, sed è variis locis erumpit sanguis, in interposita livescente cute maculae nigricantes comparent, urinae et faeces sanguineae maxime foetentes redduntur, adstringentia, et antiseptica validiora eligantur, quibus cardiaca adjungi debent. Si accedant tremores, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, tinctura castorei, et alia similia usurpen-

Digitized by Google

tur. Interdum roborantia, et cardiaca tam bene operantur, ut vires, et cutis calor redeant; et hinc pustulae paullatim erumpant, rubeant, impleantur; et mox morbus feliciter absolvat cursum. Si igitur revertatur regularitas, et vitae vires sufficiant, remediorum usus est relinquendus, si diluentia excipiantur. In quaestione versatur, an in variolis malignis, in quibus difficilis est eruptio, et vires dejectae, conveniant vesicantia. Nos vero quin illorum, qui ea laudant, vel reprobant, exponamus argumenta, experientia asserimus, vesicantia conducere, ubi adest debilitas virium, et exigua febris, et desunt signa plethorae, aut sanguinis dissolutionis; secus nocere: quod sententiae respondet Burserii op. cit. §. 248. hisce verbis traditae = Mihi vero, ut quod sentio dicam, tutum videtur iis uti in magna debilitate, solidarum partium atonia, febri exigua, calore miti, integra sanguinis crasi, absente plethora, et gangraenae metu, multoque magis, si variolosa materies, quae extrorsum pelli

Digitized by Google

debuit, intus restitans in caput, fauces, pectus, abdominisque viscera impetum faciat, earumque partium functiones laedat. Non tutum contra, imo noxium, si contraria his offendantur. = Si autem retardetur eruptio ob nimiam vasorum plenitudinem, et phlogisticam diathesin, conveniunt sanguinis missio, diluentia, antiphlogistica: si ob actionem frigoris, tepor lecti, et cubiculi, potiones calidae, leviterque diaphoreticae, stragula, quies: si ob animi commotiones, curandum est praecipue, ut restituatur quies, nec praetermittendae sunt potiones tepidae, et diapnoicae: si ob praeposteram curationem, haec statim linquenda, et examinandum, quae remedia magis accomoda sint: si ob immodicos sudores, et alvi dejectiones, exhibeantur medicamina, quae hasce effraenes excretiones coerceant: si ob complicationem gastricam, quae nullo negotio inducit spasmos, aut juvant emetica, quae etiam versus cutem materiem variolosam propellunt, aut purgantia, quae etiam portionem hujusce mate-

Digitized by Google

riei per alvum subducunt. Curatio igitur varianda est, prout retardatae eruptionis caussa differt.

§. 604. Etiam in hoc stadio quaedam superveniunt symptomata, quae peculiaria remedia requirunt. Interdum enim fauces inflammantur, aut muco denso opplentur, aut malignis ulceribus obsidentur. Si inflammatio sit levis, emollientia gargarismata; potiones etiam emollientes, et tepidae, balnea pedum satis sunt; sed si gravis, in qua fauces valde doleant, et deglutitio, aut respiratio aegre peragatur, necessaria est venae sectio, applicatio hirudinum circa collum, pulpa cassiae, gargarismata emollientia, balnea pedum, cataplasma emolliens ad collum, et deinde vesicantium usus. Si vero a spisso muco immineat suffocationis periculum, quin inflammatio existat, emeticum, et antimonialia prudenter adhibita imprimis utilia sunt. Si vero ulcera maligna infestent fauces, haec acido sulphurico, aut muriatico et melle curanda sunt. Saepe in adultis, qui vario-

Digitized by Google

lis confluentibus laborant, copiosa manat, et utilis salivatio, quae portionem variolosi humoris subtrahit. Haec ideo custodienda est, potiones tepidas adhibendo, et diligenter omnia removendo, quae eam possent comprimere, ut adstringentia, opiata, frigidi haustus. Si vero salivatio sponte imminuatur, quin alia evacuatio suppleat, leviter extimulentur glandulae salivales, quod praecipue fit haustu salino. Interdum autem salivalis humor adeo acris est, ut erosiones, et ulcera pariat; tum cavendum est, ne hic deglutiatur, et os decoctione hordei cum lacte abluatur. Praeterea quomodo curari debeant viscerum inflammationes, sopores, delirium, vigilia, convulsiones, haemorrhagiae, quae aliquando contingunt, jam alibi diximus. Est vero quaestio, an conveniant narcotica ubi nimis protrahantur vigiliae, et summa adest anxietas. Dum alii ea valde commendant, utpote quietem conciliant, viresque reficiunt; alii damnant, quia caput gravant, salivationem suppri-

Digitized by Google

munt, et inflammationes promovent; arbitramur, sine necessitate ad narcotica non esse confugiendum, utpote persaepe damnosa, potissimum infantibus. Haec dari possunt, si vigiliae a nimio pustularum pruritu, et dolore producantur, aut a nimia nervorum sensibilitate, et ataxia; sed levia sint, ut syrupus papaveris albi cum aqua destillata lactucae, aut decoctio papaveris ipsius cum saccharo. Hujusmodi cautela magis necessaria est pro infantibus, quibus soporifera maximopere nocent. Vidi puerulum biennem a fortiori papaveris decoctione enecatum, quam nutrix ad conciliandam quietem ei dedit sine consilio. Observandum est, quod vigiliae in variolis confluentibus per plures dies extenduntur; sed facta eruptione, saepe redit somnus reficiens. Non sunt ideo tam sollicite praebenda paregorica, quae facile praegravant cerebrum, et anxietatem augent, praesertim in illis, qui ea perferre non possunt.

§. 605. Si variolae regulares sint, et benignae, in suppurationis periodo me-

Digitized by Google

dicamentis non egent, cum febris suppuratoria, et symptomata levia sint. Aliquando vero dum formatur pus, inflammantur pustulae; distenditur cutis, exasperatur febris, pluraque molestant symptomata, ut vigilia, inquietudo, interruptus somnus, vaniloquentia, pustularum dolor, et pruritus. Quamvis febris, et symptomata, peracta suppuratione, evanescant, nihilominus diluentia, subacida, levia paregorica, victus tenuis requiruntur. Si vero febris sit vehemens, pulsus magnus, et durus, et omnia concurrant inflammatoriae diatheseos signa, aut illa inflammationis alicujus visceris, prompte sanguis mittendus est, nec omittantur remedia antiphlogistica, et aër libere circulet. Si alvus sit clausa, eccoproticis, aut clysteribus cienda est; si cutis tendatur, et doleat, fiant tepidi fotus aut ex decoctionibus herbarum emollientium, aut ex lacte et aqua. Cavendum est, ne aegri prurientes pustulas ruditer scabant; sed hae leviter herbarum recentium fasciculis sunt percutiendae. Ne autem pus

Digitized by Google

resorbeatur, solebant Arabes pustulas maturas, et pure plenas incidere. Etiam posteriori tempore fuit hujusmodi incisio a plerisque Europae medicis instituta; sed a nonnullis ob majorum cicatricum timorem omissa. Verum dum pustulae aut bono pure, aut sanie praetermodum turgent, sine ullo periculo ad apicem aut acu, aut lanceola incidi queunt.

§. 606. Si variolae sint malignae, confluentes, irregulares, aut suppuratio non contingit, ut in pustulis crystallinis, quorum aqueus humor nunquam in pus convertitur; aut efformatum pus retrocedit, et pustulae vacuae, et depressae fiunt, et subnigrum colorem praeseferunt; aut pustulae sunt flaccidae, cutis pallens, et laxa, facies plumbea; aut pustulae continent materiem crassam, ut verrucosae; aut subcruentae sunt, et ab his effunditur sanguis, et gangraenosae evadunt. Saepe consociantur gravissima symptomata, ut inflammationes partium, et viscerum, convulsiones, haemorrhagiae; et non raro aegri pereunt. Quoniam

Digitized by Google

vero aut inflammantur viscera; aut variolosa materia cum sanguine circulat; aut obveniunt ichorosi humoris absorptiones; aut depravantur humores, hinc aut exasperatur febris, aut nova insurgit, quae suppuratoria non est, sed secundaria, saepe ultra suppurationis stadium prolata, vel ab aliqua, vel a singulis expositis caussis producta, maxime ominosa, et subinde lethalis. Curandum est igitur, ut inflammationes resolvantur; ut variolosa materies versus cutim propellatur, et si id fieri non possit, per alias vias ejiciatur; aut cardiacis, roborantibus, diaphoreticis impediatur absorptio; aut corrigantur humores. Aliquando in variolis confluentibus dum deprimuntur pustulae, et pustularum materies retrocedit, natura ipsa variis modis eam tentat detrudere, ut in adultis per copiosam salivationem, in pueris per ventris fluxum. Si utilis salivatio libere fiat, et saliva nec tenax, nec acris, omni cura tepidis potionibus, et diluentibus custodienda; si vero saliva sit viscida, et spissa, garga-

Digitized by Google

rismatibus ex decoctione hordei et melle rosarum est resolvenda; si instet suffocationis periculum, emeticum est exhibendum; si tandem saliva sit maxime acris, et erodens, gargarismatibus ex decoctione hordei et lacte diluenda, et temperanda est. Item puerorum diarrhoea utilis, et ab aegri viribus tolerata, sinenda; quae si imminuatur, aut consistat, prompte clysteribus est revocanda: sed si immodica, colliquativa, et cum atrocibus torminibus, idoneis remediis, potissimum diluentibus, cohibenda. Praeterea magni interest, ut secundariae febris cognoscatur indoles. Haec enim interdum est violenta, et inflammatoria, ut ab ipsa morbi vehementia, florida aetate, et temperie aegrotantis, pulsu duro, calore, et siti ingente, sopore, delirio, pustulis bono pure refertis, internarum inflammationis signis intelligitur; et tum nil est conducibilius, quam venae sectio: interdum est nervosa, aut putrida, ut in variolis malignis evenit, quod a signis nervosis, maxime virium debilitate, aut a signis

Digitized by Google

putridis, praecipue humorum dissolutione, percipitur; ea hisce in casibus venae sectio non expedit, sed remedia alibi indicata. Scire etiam necesse est, quando in hoc stadio accomoda sit purgatio. Haec semper erit utilis, cum detrahenda sit variolosa colluvies; si resorptum fuerit pus; si desistat salivatio, et evanescat faciei tumor, quin inde tumeant extrema, urinae sedimentum deponant, aut sponte solvatur alvus; si sopor, aut delirium, aut inflammationes faucium, et pectoris superveniant: erit autem damnosa, cum tumescat facies, inflentur pustulae, et copiose secernatur saliva; si dum incipit detumescere facies, et desinere salivatio, extrema tumeant; si alvus sponte fluat. Prudenter cubiculi aër renovetur, ne pravis corrumpatur halitibus; saepe mutentur indusia, et linteamina; ut universae cutis conservetur mundities.

§. 607. Quoniam humor, qui in pustulis crystallinis, et siliquosis continetur, nunquam in pus convertitur, hic blandis diaphoreticis, diureticis, catharticis, ve-

Digitized by Google

sicantibus aut collo, aut extremitatibus superioribus, et inferioribus applicitis, est eliciendus. Hujusmodi autem remedia mature adhibeantur, si inopinanter pustulae vacuae fiant, et resorptus humor nobiliora viscera petat. Ad abducendam vero, et dissolvendam illam crassam materiam, quae in pustulis verrucosis includitur, eadem auxilia conducibilia sunt.

§. 608. Post suppurationem in variolis benignis, et regularibus febris, et symptomata, cessant, flavescunt, exiccanturque pustulae. Tum regulas diaeteticas praescribere satis esto. Si vero crustae diu haereant, et durae sint, emolliantur fomentationibus tepidis, ut secedant, et decidant. Peracta exiccatione, exhiberi solet leve purgans, ut gastricae sordes, quae saepe in curriculo morbi cumulantur, aut reliquiae materiae variolosae, quae interdum remanent, expellantur. Verum in variolis confluentibus, et malignis, ut plurimum exiccationis periodo, accenditur febris, gravibus symptomatibus stipata, varia ratione curanda, se-

Digitized by Google

cundum scilicet ejus indolem, et comitantia symptomata. Quocirca aut sanguinis missio, aut purgatio, aut clysteres, aut diluentia, aut acida mineralia possunt convenire, sed omnia providenter fiant.

§. 609. Naviter in hoc stadio observentur symptomata morbi, gradus illorum naturae motuum, quibus corpus a materiae variolosae reliquiis repurgatur, transitus hujusce materiae, qui ad aliquam partem saepe contingunt. Si enim acerbus cruciet capitis dolor cum acuta febre, ingenti calore, et siti, pulsu duro, secetur vena; si summa affligat respirandi difficultas, et tussis cum vehemente febre, pulsu duro, pectoris dolore, aliisque inflammationis indiciis, statim mittatur sanguis, et in inflammationem idonea usurpentur auxilia. Interdum vero respiratio difficilis, et tussis a materie in pulmones transvecta producitur, quae si crassa sit expectorantia, et attenuantes potiones; si acris, et irritans, decoctiones edulcorantes, diluentes, mucilaginosa, lac aqua dilutum, syrupus aut

Digitized by Google

decoctio papaveris albi, et interdum vesicantia judicantur opportuna. Interdum portio materiei morbosae fertur ad articulationes, et ossa, unde absconditi, et atroces dolores, anchylosis, caries ortum habent. Tum si vires sinant, pulsus sit durus, sanguinis missione, purgantibus, fomentis, emplastris anodynis, et discutientibus, et postea vesicantibus tentanda est resolutio. Aliquando in variis corporis partibus exiliunt tumores, qui, si molles, aperiantur ferro; si vero duri, rubri, dolentes, prius emolliantur, deinde pertundantur. Si superveniat ptyalismus, diligenter servandus, adjuvandusque calidarum potionum usu, et eorum fuga, quae eum comprimere valent. Post crustarum lapsum ut libera fiat perspiratio, et contagionis arceantur semina, abluendum est corpus aut universali balneo, aut lotionibus tepidis ex decoctione hordei, vel ex aqua cum aliqua saponis quantitate; mutentur vestes, linteamina, lectus. Si non resumantur vires, etiamsi morbus totum compleverit cursum, ju-

Digitized by Google

vant corporis exercitationes, ut ambulationes, vectiones; idonea nutritio; corticis peruviani usus; sed prae omnibus ruralis aëris respiratio.

§. 610. Saepe variolas plures excipiunt morbi, ut lenta febris, inflammationes, ulcera, oculorum, et aurium vitia. Aliquando in morbi decursu laeduntur viscera, aut ita inficiuntur humores, ut febricula lenta corpus absumens nascatur. Cum in viscerum latibulis caussa ejus abscondatur, omnia plerumque respuit artis auxilia. Cum vero ea in illa humorum alteratione consistat, quae in variolis confluentibus frequenter evenit, nonnunquam recta curatione subigitur. Praecipua remedia sunt lac, aut serum lactis depuratum, jura composita ex carne vitulina, ranis, et hordeo Germaniae, emulsiones ex seminibus frigidis, apta exercitatio, et nutritio, in jusculis scilicet ex oryza, aut farina zeae mays, ovis sorbilibus, piscibus, et vegetabilibus edulcorantibus praesertim posita. Dum alvus est nimis adstricta, aut gastricarum

Digitized by Google

saburrarum non desint indicia, lenia suppetant purgantia. Si post variolas summa remaneat debilitas, et ulcera maligna vel crurum, vel aliarum partium consumant corpus, roborantia, et antiseptica praestant, ut cortex peruvianus, radix contrayervae, camphora, etc. Quamvis temporis tractu natura ipsa dissipet nonnullos morbos, qui variolas sequuntur, ut chronicae ophthalmiae, epiphora, maculae, ulcera corneae, phlyctaenae, nihilo tamen minus aliquid moliendum est. Pro chronica ophthalmia maximam ferunt opem collyrium ex laudano liquido Sydenhami et aliqua aqua stillatitia, ut illa plantaginis; vesicantia; decoctiones edulcorantes. Inquit Burserius op. cit. tom. 3. §. 283. = In epiphoris contumacibus, ophthalmiisque recidivis, et chronicis, non semel plurimum emolumenti perceptum vidi ex largo vesicanti inter scapulas applicito, et diu aperto, et postea cauterio brachiorum inusto; quod quantum ad prophylaxim conferat, nemo nisi expertus noverit. = Pro omnibus ex-

Digitized by Google

positis vitiis necesse est humorum indolem meliorem reddere, quod decoctionibus sarsae parillae, radicis chinae, stipitum dulcamarae; aquis mineralibus; balneis aquae communis; lacte, aut sero lactis depurato; idoneo victu assequimur.

§. 611. Nonnulla sunt symptomata, quae in quovis variolarum stadio aggrediuntur, ut oculorum inflammationes, profluvium lacrymarum acrium, et irritantium, suppurationes; aurium inflammationes, abscessus, ulcera; ischuria; etc. Dum inflammantur oculi, et lacrymae tam acres fluunt, ut irritetur, et inflammatione afficiatur conjunctiva, necessaria sunt collyria tepida ex aqua malvae, aut hordei et lacte. Sed si vehemens sit inflammatio, sanguinis missio, antiphlogistica, eccoprotica, collyria, et fotus emollientes, cataplasmata ex pulpa pomorum, et lacte, balnea pedum, vesicantia, lucis fuga, sunt quae ad curationem quaeruntur. Si vehementem inflammationem sequatur suppuratio, nullo negotio destruitur oculus. Si inflammentur aures, etiam

Digitized by Google

requiritur antiphlogistica methodus; si succedant abscessus, et ulcera, abstergatur affecta pars, et curandum, ut libere fluat materies ex auribus, ne feratur ad cerebrum. Si in decursu variolarum contingat ischuria, aut est vera, ab aliquo vesicae urinariae vitio dependens, aut est spuria, sub qua urinae non secernuntur in renibus. In primo casu fotus emollientes fiant super hypogastricam regionem, et perinaeum, et clysteres etiam emollientes, et laxantes injiciantur; sed si haec, aut alia non juvent, cathetere extrahatur urina. In altero casu adhiberi possunt diuretica. Quandoque tantus est ardor, et acrimonia urinarum, ut stranguriosa difficultas nascatur, quae demulcentibus, et laxantibus tam internis, quam externis est subjuganda.

§. 612. Febris variolosa sine variolis, quam, ut diximus plerique practici admittunt, dum variolae epidemice regnant, est plus, aut minus extensa, et stipatur symptomatibus variolarum propriis, et interdum ipso ptyalismo, qui ut plurimum

Digitized by Google

confluentes variolas comitatur. Observavit hanc febrem Sydenhamius critico ptyalismo solutam. Dari non potest certa ratio, cur in hac febre non appareant pustulae; sed valde probabile est, quod per vasa cutis, aut per aliquod emunctorium diffletur variolosum contagium, sicut ejus natura fert. At quaecunque sit hujusce foenomeni caussa, haec febris eodem modo, ac variolae curanda est.

§. 613. Posteaquam apud nos strages ediderunt variolae, celebres practici ad eas extirpandas, vel mitigandas inutiliter dederunt operam. Sola ratio, qua ante vaccinae inventum morbus reddebatur levior, erat insitio. Haec multis ante saeculis apud Indas, aliosque populos nota, circa finem saeculi decimi septimi, et initium octavi Byzantii vulgatissima, nobis circa annum 1718. fuit perspecta, opera matronae Worthly Montagne, quae tum erat Hadrianopoli, voluitque natos insitioni subjici. Ex Anglia, ubi primum fuit insitio enunciata, sed non floruit, nisi sub medietatem saeculi deci-

Digitized by Google

mi octavi, per alias Europae regiones, et per Americam extendebatur. Haec ubique invenit osores, qui non parum ejus progressum retardarunt; sed eorum objecta summi viri, experientia freti, diluerunt; siquidem insitionis ope morbus fiebat mitior, et centesima tantum aegrotantium pars perdebatur. Ut haec operatio bene succederet, aptius eligebatur anni tempus, scilicet ver; evitabatur dentitionis, pubertatis, menstruationis, gestationis, puerperii periodus, ideoque aut quatuor primis vitae mensibus, aut post absolutam dentitionem fiebat. Ex variolosa pustula acu, aut lanceola sumebatur pus; deinde in superiore brachii parte, quae magis ad inoculandum habebatur idonea, cuspis transversim inter epidermidem et cutem per unius, aut duarum linearum spatium introducta, ibique aliquantisper retenta, commovebatur, ut pus cuti adhaereret. Cum vero extraheretur cuspis, digito comprimebatur epidermis, ne deperderetur pus. Ab insitione belle peracta nec

Digitized by Google

sanciebatur cutis, nec ulla effusio sanguinis contingebat; deinde quarta die circa affectam partem apparebat rubor, et percipiebatur pruritus; sexta, vel septima die, vel tardius stadii invasionis adveniebant symptomata, et sic deinceps in toto cursu variolae insititiae ab illis spontaneis non distabant. Verum immortale vaccinae inventum insitionis humanarum variolarum methodum supervacaneam reddit. Videamus igitur quid sit vaccina, eamque inoculandi modus.

§. 614. Ab antiquis usque temporibus in comitatu Gloucester cognoscebatur vaccarum morbus, seu variolae, quae tempore verno circa mammarum areolam se produnt, ac manus et brachia eorum invadunt, qui vaccas mulgent, eosque ab humanis variolis immunes reddunt, si non adhuc his laborassent. Hujusmodi morbus ille est, qui vaccina dicitur. At quamvis fuisset perspectus, tamen Eduardus Jenner fuit primus, qui ad hujus morbi facultatem ab humanis variolis praemuniendi animum adjecit, ac ineffa-

Digitized by Google

bili humanitatis lucro anno 1798. suum inventum inoculandi vaccinam evulgavit. Statim, et ubique plures insurrexerunt adversarii, sed cito eorum tentamina irrita, et evanida facta sunt. Etenim non solum Anglia, sed universa Europa, pluresque aliae gentes vaccinae utilitatem recognoverunt, ejusque insitio fuit universaliter instituta, legibusque sancita. Si vaccina est spontaneus vaccarum morbus, inutile prorsus est illius originem vel ab humanarum variolarum degeneratione, vel a morbis aliorum animalium deducere. Archiater immortalis Pontificis Pii VII. et prospere regnantis Pii VIII. Eques Thomas Prelà in dissertatione de Boa Plinii primus ex operibus hujusce scriptoris collegit, demonstravitque, remotissimam vetustatem cognovisse vaccinam, et hanc a contagio pustuloso nasci, imprimis uberum vaccarum, et appellatam fuisse Boa. Hinc maxima animadvertit sagacitate, Eduardum Jenner non a morbo calcanei equorum, sed ab illo ejusdem speciei ortum vac-

Digitized by Google

cinae deduxisse, si morbum a Plinio descriptum, scilicet Boa, considerasset. Commemorata autem dissertatio tam est praeclara eruditione repleta, ut ab omnibus perlegi mereatur.

§. 615. Vaccina est levissimus morbus, periculo carens, humanas variolas removens, cujus insitio fieri potest quavis aetate, et quovis tempore, quin antea aliquod quaeratur regimen. Quae contra vaccinae inoculationem asseruntur prorsus commentitia sunt. Fatendum vero est, aliquando humanas variolas eos aggredi, quibus vaccina legitima fuit insita, quae regularem complevit cursum; sed hujusmodi variolae benignae sunt, et regulares. Fieri enim potest, quod interdum vaccina dispositionem ad humanas variolas suscipiendas non penitus auferat; sed semper facit, ut earum contagium non tam crudeliter suam exerat vim. Nunquam igitur vaccinae inoculatio est relinquenda, etiamsi post eam humanae variolae malignae, et confluentes corriperent; siqui-

Digitized by Google

dem hujusmodi casus rarissimus esset, vixque possibilis.

§. 616. Facta insitione, tertia aut quarta die comparet vaccina sub forma rotundi, et rubri tuberculi, cujus margines aliquantum elevantur, et deprimitur centrum. Circa sextam diem efformatur vesicula, prius languide rubra, aut ad caeruleum tendens, mox pellucida. Habet margines rubros elevatos, depressum centrum, in quo punctum obscurum cernitur; humorem prius viscosum, deinde aqueum, et pellucidum continet. Versus octavam, aut nonam diem circa vesiculam apparet rubor, qui dilatatur, et decima die aream duorum pollicum constituit sine dolore, sed cum aliqua duritie, et tumore. Ergo usque ad decimam diem crescit vesicula; et posteaquam ad augmentum pervenerit, inclusus liquor pelluciditatem amittit, densiorque fit. Tandem vesicula abit in crustam, cuti nimis adhaerentem, quae circa vigesimam octavam diem secedit, et delabitur, cicatricem relinquens.

Digitized by Google

§. 617. Si vaccina expositum cursum non expleverit, maxime dubitandum est, an legitima fuerit. Appellatur enim spuria, si ejus cursus sit nimis velox; si contentus humor in vesicula sit luteus, aut opacus; si vesicula non sit renitens, firma, circumscripta, ut vera esse solet; si ejus centrum extollatur, deprimanturque margines; si sollicite crusta secedat, cui exulceratio succedat, et nova superveniat crusta. Hujusmodi vaccina generatur, si materies inserenda aut spuria, aut antiqua, aut corrupta, aut aliquo modo vitiata sit. Animadvertendum est, quod ad legitimam constituendam vaccinam necessaria non est supra descripta area, nec illa febricula, quae inter septimam et undecimam diem explicatur. Genuina enim vaccina saepissime sine febre, et cum aliquo rubore vesicularum marginum curriculum perficit.

§. 618. Vaccinae insitio fit quavis anni tempestate, quamvis ver, et autumnus praefertur; et ad evitandam dentitionis periodum versus finem secundi vitae men-

Digitized by Google

sis, aut initium tertii institui solet. Haec fit sequenti modo. Septima, aut octava die, aut paullo tardius, dummodo area non adhuc facta sit, a pustulis sanissimi pueruli desumitur inserenda materies. Acu sulcata ad vaccinationis opus confecta, perforatur vesicula, et cum ea colligitur materies. Hinc instrumentum sub epidermide inoculandi pueri ita introducitur, ut minime exeat sanguis, et leviter epidermis digito comprimitur. Ut plurimum una aut duae puncturae fiunt in utroque brachio, sed hae ita distent, ut areae confluere non possint. In pueris insitio fit ubi musculus deltoides inseritur; sed altius in puellis, ne evidens remaneat cicatrix. Si vero recens materies vaccina deficiat, illa, quae bene collecta, et intra lamellas vitreas, aut vitreo cylindro sit servata, in usum ducitur. Nonnulli etiam pulverem crustarum pro inoculatione adhibent. Hac autem instituta, nullus in diaetetico regimine patretur error; tuberculum, aut vesicula nec com-

Digitized by Google

primatur, nec laceretur; et absoluto vaccinae cursu, leve purgans exhibeatur.

GENUS TERTIUM

Variola spuria

§. 619. Variola spuria, seu varicella, forsan veteribus nota, exhibet exanthema veris varioli s valde simile; sed reapse diversum, non solum ob ejus pustulas, ut plurimum non umbilicatas; sed globulosas, ejusque curriculum mitius, et brevius; sed etiam ob differentem caussam. Hinc variola spuria non est judicanda ut verae varietas, sicut plures fecerunt practici, sed tamquam peculiaris morbus, qui apud diversas gentes plura vernacula nomina obtinuit. Quoniam vesiculae hujusce variolae non semper globosae sunt, sed aliam praeseferunt figuram, existimavit Willan eas in lenticulares, conoides, et globulosas dividere. Verum ut diximus hae vesiculae per-

Digitized by Google

saepe globosae sunt, aut si lenticulares, et conoides appareant, fere semper cum globosis commiscentur.

§. 620. Ante hujus morbi principium, aut nulla occurrunt prodroma signa, aut tantummodo aliqua inquietudo, et inappetentia. Exanthematis eruptionem modo nulla, modo exigua praecedit febris, quae incipit horrore levi, et deinde sequitur calor. Frequentiora symptomata sunt dolor capitis, lumborum; sitis; nausea; inquietudo. Nisi prima, secunda certe die, aut in facie, aut in dorso, et deinde per totum corpus efflorescunt pustulae conspicuae, prominentes, inter se admodum dissitae, in marginibus rubrae, in centro pellucidae, quia humore aqueo implentur, qui nunquam, ut in veris variolis, in pus commutatur. Absoluta eruptione, febris evanescit, non amplius reditura. Cito pustulae augmentum assequuntur, scilicet ad pisi magnitudinem perveniunt; et intra duorum vel trium dierum spatium exiccantur. Hinc decidunt crustae, quae cicatricem non

Digitized by Google

linquunt; sed solum quaedam vestigia prompte evanescentia. Morbi curriculum ad tres, quatuor, quinque, aut tardius ad septem dies extenditur. Interdum evenit, quod dum aliae pustulae siccantur, aliae sobolescunt.

§. 621. Variola spuria, cujus pustulae halone rubro circumdatae, in medio limpidum humorem serosum continent, dicitur lymphatica, aut crystallina, quae cum variolis malignis crystallinis, de quibus supra verba fecimus, confundenda non est. Si vero pustulae sint rubrae, durae, verrucas aemulantes, tum nuncupatur variola spuria verrucosa, a veris variolis verrucosis diversa, quae intra septem dies persolvit cursum. Si pustulae sint ovales, durae, et obscure rubrae, tum variola spuria solidescens vocatur. Tandem si pustulae loco aquosi humoris aërem includant, tum nomine emphysematicae distinguitur. Inter hujusmodi varietates lymphatica, aut crystallina frequentior est.

Digitized by Google

§. 622. Ut melius differentia appareat, quae inter veram, et spuriam variolam intercedit, utriusque praecipuos characteres, enumeremus. In vera praecedit febris, quae ad aliquot producitur dies; pustulae circa quartam diem egrediuntur, et materie implentur, quae vertitur in pus, et versus suppurationis stadium rubris marginibus cinguntur, ac febris suppuratoria excitatur; tandem ante nonam diem non arescunt pustulae. In spuria vero aut nulla, aut exigua, et brevis febris praecurrit; prima, aut secunda die erumpunt pustulae, quae cito, scilicet tertia die, replentur sero in pus non abituro, nec ulla suppuratoria febris suscitatur; pustulae, eruptione peracta, cinguntur halone rubro; quinta, aut septima die succedit exiccatio.

§. 623. Modo agitatur pathologica quaestio, an variola spuria a degeneratione variolosi contagii, aut ab aliquo peculiari principio, vel contagio pendeat. Verum si animadvertatur, quod peculiaria contagia plus aut minus habent effi-

Digitized by Google

caciae, et sub quibusdam anni tempestatibus, aliisque circumstantibus rebus, majorem vel minorem explicant vim, sed eorum naturam non immutant, eorumque effectus iidem semper sunt, mihi videtur spuria variola, quae, ut innuimus, proprios habet characteres, propriumque cursum explet, non a variolosi contagii digressione, sed a peculiari caussa proficisci. Insuper vaccina, quae a veris variolis praeservat, variolae spuriae minime obstat; idque satis probat, hanc a veris variolis omnino differre, aliamque caussam recognoscere. Forsan hujusmodi caussa est principium, aut contagium in seroso vesicularum humore contentum, ex quo hoc transmittitur, ut a periculis in nosocomiis laborantium variolis pluries factis conjici potest.

§. 624. Spuria variola est levis morbus, et periculo vacat. Interdum sporadice, interdum epidemice grassatur, et nunquam a veris variolis defendit. Infantes, puerosque adoritur, et plerumque reliquis parcit. Si dum verarum variola-

Digitized by Google

rum contagium agit in universum systema, spuria variola evolvatur, utrique morbi absque ullo impedimento consuetum perficiunt cursum; sed si utriusque variolae eodem tempore inoculentur contagia, dum variolae verae libere percurrunt sua stadia, languidior fit varicella, ut ab institutis experimentis fuit observatum.

§. 625. Curatio in morbum adeo levem, si fere committatur naturae, feliciter succedit. Sufficiunt enim in initio decubitus in lecto, victus tenuis, lenia diaphoretica, ut infusum florum sambuci, capillorum veneris, emulsiones seminum melonum cum nitro. Absoluto autem morbi cursu, leve purgans solet exhiberi. Interdum ab initio hoc convenit remedium, cum gastricae saburrae, aut vermes primas regiones teneant. Si autem in decursu morbi summa sit alvi duities, emollientes clysteres injiciantur. Denique si alia adsit complicatio, aut aliquod exerceat symptoma, alia secundum opportunitatem usurpari possunt remedia.

Digitized by Google

GENUS QUARTUM

Morbilli

§. 626. Morbilli objiciunt exanthema, quod cognoscitur a papulis morsibus pulicum similibus, asperis, in furfuraceas squamulas abeuntibus, quarum eruptionem febris, et catarrhalia symptomata praecedunt. Morbilli una cum variolis in Europam translati, veteribus Graecis, et Romanis fuerunt ignoti. Ab illo enim tempore saepe cum variolis epidemice grassari compertum est. Frequentius corripiunt infantes, puerosque; interdum juvenes, senes, et ipsam prolem adhuc in utero absconditam, aut vix in lucem editam, ut observationibus gravissimorum auctorum comprobatur. Nonnulli asserunt, semel in decursu vitae morbillos aggredi, ut Rosenstein, et Morton, qui per spatium quadraginta annorum fecerunt medicinam; alii autem interdum bis redire contendunt, ut Tozzetti, Schacht, Me-

Digitized by Google

za, de Haen, cum quibus plerique conveniunt. Plures praeclarissimi scriptores designant morbillos nomine rubeolae, ut Sydenham, Huxham, Hoffmann, Sauvages, aliique; sed inter recentiores Sprengel, Joseph Franch, et alii inter morbillos et rubeolam differentiam constituunt, quae an extet, infra videbimus.

§. 627. Dividuntur morbilli in sporadicos, et epidemicos; benignos, et maligos; regulares, et irregulares; genuinos, et spurios; simplices, et complicatos. Benigni sunt etiam legitimi, et regulares; maligni irregulares. An vero hi etiam spurii sint, ignoramus. Auctores enim, qui de spuriis morbillis loquuntur, aut eos nunquam observarunt; aut in iis definiendis aliquo modo inter se oppositi reperiuntur. Inquit Burserius inst. med. §. 114. = Ut vero benignorum synonyma sunt genuini, et regulares; sic malignorum spurii, et irregulares. = Ait Sprengelius pathol. special. vol. 2. §. 349. = Morbillorum, quos varii dicunt spurios, brevior est et levior decursus: secundo

Digitized by Google

jam febris die exanthemata prodeunt; post viginti quatuor horas pallescunt: die tertio, aut quarto febris abit: desquamatio tandem latis cuticulae frustulis peragitur. = Petrus Franchius epit. §. 347. dixit. = Spurios, quos alii viderunt, morbillos conspeximus nunquam. = Ex hac summorum virorum contradictione, et inexperientia dubitari posset, an reapse spurii morbilli occurrant, nisi hoc nomine modo benignos, modo malignos appellari velimus. Nos hactenus morbillos non vidimus nisi sub duplici forma, nimirum benigna, vel maligna. Tamen recentiorum observationes aspernendae non sunt, qui spuriorum morbillorum characterem depromserunt. Ex horum enim observationibus colligitur, dari spurios morbillos, eosque cum spuriis variolis, et spuria vaccina similitudinem habere, et a genuinis morbillis immunes non reddere. Deducitur etiam, spurios morbillos esse irregulares, et leviores, et symptomatibus catarrhalibus carere. Pluries in filiis, aliisque hujusmodi morbillos observavit,

Digitized by Google

descripsitque Willan. Dicuntur morbilli simplices, qui unicam offerunt aegritudinem; complicati, qui cum aliis exanthematibus, inflammationibus, aliisque morbosis affectibus copulantur.

§. 628. Fuit pridem a quibusdam posita, et ponitur adhuc a pluribus nostrae memoriae scriptoribus differentia inter morbillos et rubeolam, quae ab ipsis ut morbus sui generis habetur. Definitur enim rubeola exanthema, quod saepe cum rheumaticis symptomatibus, et dolore faucium, praevia febre, corripit; cujus eruptio incerta, et finis plerumque sine desquamatione observatur. Insuper dividitur rubeola in discretam, confluentem, miliarem. Vocatur discreta, si egrediantur puncta dispersa, circumscripta, morbillos aemulantia; confluens, si tam numerosa erumpant puncta rubra, ut etiam interposita cutis rubore afficiatur; miliaris, si papulae miliares cum confluenti rubeola misceantur. Hinc Sprengel op. cit. §. 350. vocat rubeolam medium exanthema inter morbillos et scarlatinam. Verum

Digitized by Google

si rubeolae definitio, ejusque forma triplex perpendatur, mihi videtur horum scriptorum rubeola aut esse morbillorum varietas, ut illa discreta, et confluens nuncupata; aut varietas scarlatinae miliformis, aut pustulosae, ut animadvertit Petrus Franchius loc. cit. Praeterea observandum est, quod dum morbilli populariter regnant, etiam hujusmodi rubeola epidemice grassari conspicitur.

§. 629. Hisce praemissis, veniamus ad morbillorum stadia. Haec tria sunt, quorum primum invasionis; secundum eruptionis; tertium desquamationis nuncupatur. In morbillis regularibus stadium invasionis ab initio febris usque ad eruptionem profertur, quae circa quartam diem evenit. Eruptio autem si exanthema sit benignum, tres dies non superat; si vero malignum et irregulare, modo citius modo serius incepta, ad decimam septimam, et etiam ad vigesimam diem producitur. Incipit tertium stadium a morbillorum decoloratione, et dum hi evanescunt, et desquamatur cuticula,

Digitized by Google

finem habet. In benignis morbillis post desquamationem redit functionum integritas; sed in malignis dum papulae decolorari incipiunt, augetur febris cum perniciosissimis symptomatibus, aut alii insurgunt morbi, saepe gravissimi.

§. 630. Caussa morbillorum est particulare contagium maxime subtile, volatile, irritans, quod cum humoribus mixtum sollicite multiplicatur; invadit potissimum membranam mucosam narium, faucium, asperae arteriae, bronchiorum, et catarrhalia progignit symptomata; transmittitur ad cutem, ejusque serosos latices inficit. Quacumque autem ejusmodi contagium transportetur, partes, et organa irritat; copiosiores secretiones, et excretiones promovet, ut si feratur ad ventriculum nauseam, et vomitum; si ad intestina, diarrhoeam, tormina; si ad vesicam urinariam, ischuriam inducit. Hoc vero a contagio varioloso differt, quamvis saepissime morbilli, et variolae societatem ineunt. Interdum tusses convulsivae epidemicae morbillos praenun-

Digitized by Google

tiant; interdum morbilli ferinae tussi conjuncti variolas praecedunt; interdum morbilli variolas sequuntur. Morbillorum contagium ad aliquam distantiam ab aegrotantibus, nullo negotio propagatur in sanos, praecipue si anni tempus, constitutio aëris, et opportuna ad hoc suscipiendum faveat dispositio. Quovis anni tempore grassari possunt morbilli etiam epidemici; sed ut plurimum media incipiunt hyeme, sensim increbrescunt, et non raro ad julium mensem extenduntur, ut illi anni 1670. a Sydenhamio graphice descripti. Cujusvis aetatis homines, sed frequentius, ut diximus, pueros, et infantes aggrediuntur; ideo infantilis, et puerilis aetas magis ad morbillos disponit.

§. 631. Quoniam morbilli vel benigni sunt, symptomatibus inflammatoriis plus minusve vehementibus stipati, vel maligni ab asthenica diathesi, et febre typhode distincti, seorsim de utrisque agendum est, sed primum de benignis. In primo horum stadio statim frigoris, et caloris sensationes alternantur, et in-

Digitized by Google

choant catarrhalia symptomata, ut tussis molesta et sicca, raucedo, pectoris oppressio, gravedo, capitis gravitas, dolor, sternutamenta, palpebrarum tumor. Secunda die accedit febris cum multa siti, inquietudine, anorexia, nausea, lingua modo humida, modo arida, ad somnum propensione; facies est rubra, et oculi scintillant, lacrymasque effundunt, aut inflammantur, et effugiunt lucem; acris, tenuis, et irritans humor è naribus stillat; fauces ardent, et dolent; respiratio frequens, suspiriosa; pulsus etiam frequentes, et irregulares; dolent lumbi, et in regione epigastrica sensus ponderis gravat. Tertia die omnia crebrescunt, et interdum supervenit vigilia, delirium, anxietas, et paullo ante eruptionem vomitus, et frequentius diarrhoea. Quandoque alvus per totum morbi curriculum clauditur; quandoque erumpunt copiosi sudores. Prope eruptionem intumescit facies; oculi magis rubent, et dolent; pruritus faciei molestat. Interdum abundans sanguinis fluxus è naribus plethori-

Digitized by Google

cis maxime juvat, utpote caput, fauces, et oculos sublevat. Tertia, aut quarta die incipit secundum stadium. In facie enim punctula rubra, seu potius exiguae maculae, morsibus pulicum similes egrediuntur, quae deinde quantitate, et magnitudine augentur, coeunt, aut appropinquant. Ejusmodi maculae, aut rotundae, aut irregulares, super cutem aliquantisper eminent, sicut tactu deprehenditur. Dein maculae per totum corpus diffunduntur, sed magis confluentes sunt illis faciei, nec tactu tam facile earum super cutem eminentia percipitur. Nihilominus huc, et illuc aliqua cutis inaequalitas, et asperitas a papulis morbillosis producitur. Absoluta vero eruptione, nonnulla mitigantur, et penitus desistunt symptomata, ut delirium, spasmi, vomitus; nonnulla cum febre morantur, ut catarrhalia, nimirum tussis, spirandi difficultas, oculorum rubor, lucis aversatio, lacrymarum fluxus, capitis dolor, gravedo, sternutatio. Sed in gravioribus casibus febris, et catarrhalia symptomata intenduntur, et

Digitized by Google

manifestantur signa inflammationis pectoris. Ut plurimum in mitioribus morbillis post eruptionem nec febris, nec catarrhi symptomata augentur; sed interdum per breve tempus exasperantur. Tussis est symptoma, quod a morbi initio usque ad finem permanet, et saepe materiae mucosae excreatum infert, ex quo liberior fit respiratio, et admodum sublevatur pectus. Plerumque sexta die initium habet tertium stadium. Pallescunt faciei maculae, ejusque decrescit tumor. Septima die febris fere evanescit, dissipanturque maculae. Hae vero in reliquo corpore, aucta perspiratione, vel urinis copiose redditis, vel alvi fluxu, octava die non amplius visu deprehenduntur. Nona die maculae in squamulas furfuraceas, aut farinaceum pulverem fatiscunt; ut plurimum cessat febris, et restituitur sanitas. Si vero morbilli non bene resolvantur, et aliquod perstet symptoma; si in diaetetico regimine perpatrentur errores, gravia mala timenda sunt. Interdum enim resurgit febris, quae habitualis fit, et len-

Digitized by Google

ta; perseverant dyspnoea, et tussis, quae haemoptysin, aut phthisin pulmonarem adferre solet; accedunt oedemata, hydropes, fluxus ventris, qui saepe versus morbi finem incipit, persistit, fit torminosus, colliquans, et hinc extremam virium debilitatem, consumptionem, et mortem inducit. Sprengel tom. 2. path. spec. §. 348. hanc observationem refert = Vidimus non raro infantes convalescentes, ubi perfrixit cutis, repente dolore laryngis atroci, tussi stridula, et suffocatione corripi, laryngis igitur, et fistulae spiritalis inflammatione extingui. =

§. 632. Quamvis morbilli etsi valde benigni aegritudinem inflammatoriam sistant, attamen quibusdam placet, eos inflammatorios vocare, cum vehemens sit febris, et symptomata; aut evidentius indolem phlogisticam patefaciant. Symptomata praeter inflammatoriam febrem sunt summus capitis dolor; inflammatio oculorum, faucium; coryza; sternutatio frequens; calida lacrymatio; dolor punctorius pectoris; tussis sicca; cruda sputa;

Digitized by Google

difficilis respiratio; quaedam lassitudo, somnolentia, inquietudo, anxietas; pulsus contractus, durus, plenus; haemorrhagiae; sitis ingens. Saepe febris horis vespertinis exacerbatur, matutinis mitescit. Frequenter supervenit delirium, nunc desiderium vomendi, nunc vomitus, nunc diarrhoea, quae vel vomitum imminuit, vel aufert. Efflorescunt morbilli versus finem tertiae diei, aut quarta, quinta, aut sexta die sine levamine symptomatum; quin illa catarrhalia exasperantur, praesertim tussis. Hoc stadium ad nonam, et undecimam diem producitur. Interdum dum inflammantur viscera, non solum febris, sed alia persistunt inflammatoria foenomena. Hinc alia mala, et ipsa mors non raro subsequitur.

§. 633. Morbilli etiam gastrici appellantur, si signa prodeant, quae gastricas affectiones constituunt. Hujusmodi morbilli saepe sub observatione cadunt, cum aëris constitutio gastricis affectionibus faveat. Interdum vero tales fiunt, si

Digitized by Google

caussae praecesserunt, quae gastricos morbos producunt. Ut simplices morbilli procedunt, sed quia ventriculi, et intestinorum sordes, aut vermes agunt in nervos, major premit debilitas. Sed dum gastrica inquinamenta, aut vermes praesto sunt, morbilli non ut simplices, sed ut complicati habentur. Si inter initia signa gastrica non sint evidentia, haec complicatio ab indole regnantis epidemicae constitutionis, a praegressis caussis, et ab aegrotantium dispositionibus deprehenditur.

§. 634. Ab exposita morbillorum imagine luculenter patet, quae sint praecipua signa, ex quibus a variolis, et scarlatina illi discernuntur. Interdum praeter frequentiora symptomata alia adjunguntur, ut delirium, haemorrhagiae, ischuria, peculiaris transpirationis odor, ptyalismus, et exanthema, quod palatum, linguam, uvulam, tonsillas invadit. Verum praenoscere inter initia morbillos, haud est expeditum; tutius eos erupturos conjicimus, dum praecipua concurrant signa; nimirum si cum febre non defi-

Digitized by Google

ciant oculorum rubor, lacrymatio, gravedo, dolor capitis, sternutatio, tussis sicca, stillicidium ex naribus, dolor et ardor faucium, somnolentia: praeterea si nondum aeger morbillos fuerit perpessus, et hi epidemice regnent. Ex praecipuis quidem symptomatibus morbilli a variolis distinguuntur, ut observavit Sydenhamius; tamen in prima eorum eruptione interdum cum his confundi possunt; sed cito quodvis evanescit dubium, si exanthematum differentia perpendatur. Etenim pustulae morbillorum illis variolarum numerosiores sunt, et in racemos dispositae; prominent in facie, sed in reliquis partibus potius rubore, quam elevatione se proferunt; dum variolae ubique super cutem elevantur, et protuberant. Insuper pustulae morbillosae nunquam in suppurationem transeunt, sed siccantur, et desquamantur; dum in pustulis variolosis formatur pus. Denique ex dictis liquet, id proprii habere morbillos, ut, eruptione absoluta, febrilia et catarrhalia symptomata persistant, et non raro exasperen-

Digitized by Google

tur; dum in reliquis exanthematibus inflammatoriae naturae post eruptionem sedantur, aut omnino disistunt symptomata. Majorem vero affinitatem cum purpura scarlatina morbilli praeseferunt; tamen adest evidens discrimen. Nam in morbillis perpetua sunt catarrhalia foenomena; sed in scarlatina, si sub stadio invasionis adsit tussis, brevis est: maculae morbillosae super cutem se efferunt distinctae et circumscriptae, et inter eas spatia cutis naturalis coloris relinquuntur, quae variam offerunt figuram; dum rubedo scarlatinae est plana, aequalis, et adeo extensa, ut ferme universam cutim inficiat: in morbillis epidermis abit in desquamationem furfuraceam; sed in scarlatina evidentior est desquamatio, siquidem epidermis frustulatim abscedit: eruptio morbillosa incipit tertia, aut quarta die; illa scarlatinae evenit secunda. Etiam morbilli ab urticaria, peticulis, et exanthemate miliari distingui debent. Illi enim efflorescunt tertia, aut quarta die; sed secunda urticaria macu-

Digitized by Google

lae morbillosae prodeunt sine pruritu; sed magno pruritu maculosi rubores urticariae: illae sunt morsibus pulicum similes, hi sunt lati: morbilli constans sistunt exanthema; sed urticaria interdiu fere abit, et horis vespertinis remeat cum febre: actione frigoris illi expedite diffugiunt; haec persaepe evidentior fit. Differunt autem morbilli a peticulis, quia illi primum, et potissimum erumpunt in facie; sed in hac rarissime peticulae: eruptio morbillorum est regularis; sed illa peticularum non tam determinato tempore perficitur: maculae morbillosae sunt majores, et super cuticulam elatae; illae peticularum exiguae, et ut plurimum non efferuntur: morbilli desquamatione terminantur; sed peticulae vix unquam. Tandem a miliaribus discriminantur morbilli, quia hi comparent regulariter praefinitis diebus; illa vero incerta die: morbilli prodeunt in facie; miliaria in hac rarissime: papulae morbillosae sensibilem humorem non continent; illae exanthe-

Digitized by Google

matis miliaris humorem comprehendunt, qui aliquando convertitur in pus.

§. 635. Quoad praesagium benignorum morbillorum attinet; si hi bene curentur, plerumque carent periculo, et saepe absque artis ope concedunt, dummodo nullus committatur error. Mitius a morbillis affligi solent pueri, et adolescentes; gravius infantes dentitionis periodo, adulti, gravidae, puerperae, et qui aliis conflictantur morbis. Mitiores autem morbilli aestivo tempore, quam hyemali esse consuescunt. Sperandum est, si hi regulariter sua stadia percurrant, et post ultimum stadium eorum non remaneant reliquiae; nimirum si tertia, aut quarta die exiliant, et super cutem promineant; si post eruptionem melius se habeant aegroti; si pustulae ultra quartam ab eruptione diem non morentur; si post desquamationem nec tussicula, nec raucedo, nec febricula, nec diuturnus alvi fluxus supersint. Rursus timendum est, si eruptio aut nimis sit sollicita, aut nimis tarda; si longior,

Digitized by Google

quam par est, sit pustularum duratio; si post exiccationem persistant febris, difficilis respiratio, et quae indicant catarrhum, et peripneumoniam. Quandoque contingit morbillorum retrocessus, qui lethalis est. Saepe ab actione frigoris, aut a profusa jactura sanguinis, aut a nimiis, et assiduis sudoribus producitur. Curabam vere anni 1806. bene habitam puellam annorum quindecim, morbillis benignis et regularibus laborantem, quae media nocte ad frigidam captandam auram, dum efflorescebant pustulae, per horae quadrantem se ad fenestram posuit; deinde in lectum rediit, ac melius se habere videbatur, cum caloris febrilis molestiam non amplius perciperet. Sequenti die penitus evanuit exanthema; sed paullo post, accedentibus dyspnoea, dolore pectoris, tussi sicca, ariditate oris, delirio, convulsionibus, decessit.

§ 636. Quamvis morbillorum benignorum symptomata, ut plurimum mitia sunt, nihilo tamen minus aliquando occurrunt graviora; aut post illorum cursum

Digitized by Google

residua, et periculosa mala circumveniunt. Itaque in horum omnium consideratione, et examine praecipua praesagii formula continetur. Si enim febris sit levis; levia catarrhalia symptomata; pustulae laete florentes cum cute aequaliter calida et tensa; aegri levamen post eruptionem; modica diarrhoea, aut diaphoresis; dum pustulae pallescunt, febris imminutio, respiratio liberior cum facili, et copiosa expectoratione; somnus quietus, protractus; urina sedimentosa; absoluto morbo, nullum residuum symptoma, faustum formabimus praesagium. Contra mali ominis erunt convulsiones, quae eruptionem praecedunt, ni cito desinant, maxime sub dentitione; vomitus post eruptionem perseverans; pustulae, quae ad nigrum colorem vergunt cum flaccida cute, aut cum peticulis, et ecchymomatibus; tussis vehemens, continua cum alvi profluvio; effraenes haemorrhagiae; immodici et assidui sudores; bronchiorum, et pulmonum inflammatio cum diarrhoea; dolor capitis, et oculorum per-

Digitized by Google

stans; post exiccationem alvi fluxus continuus, debilitans; febricula, et tussis, quae tabem et mortem advehunt. Si retrocedant morbilli, et ad nobiliora viscera transferatur morbillosa materies, saepe repentina adventat mors. Si vero paullo post retrocessum redeant, aut superveniat diarrhoea, ut animadvertunt practici, mortis removetur discrimen. Ut plurimum autem ab hoc morbillorum retrocessu animi deliquia, delirium, viscerum inflammationes, praesertim cynanche, bronchitis, peripneumonia proficiscuntur. Si supersint morbillorum reliquiae; aut a convalescentibus in regimine diaetetico patrentur errores; aut incaute suscipiatur frigus; aut calefacentia adhibeantur, plura incommoda suscitantur, saepissime perniciosa, ut tussis pertinax, quae haemoptysin vehit; affectio tubercularis; hydrothorax; oedemata; inflammationes, et vomicae pulmonum; diarrhoea chronica; ophthalmiae; amaurosis; maculae corneae; morbi cutanei; ulcera; glandularum tumores; aphthae; corporis consumptio;

Digitized by Google

etc. Inspectione cadaverum adinveniuntur obstructiones glandularum mesenterii, aut pulmonum; praegressarum inflammationum vestigia in trachea, bronchiis, pulmonibus; horum vomicae; serum in cavitate pectoris diffusum; materies puriformis internam bronchiorum superficiem obducens.

§. 637. Morbilli benigni, et regulares adeo mites interdum sunt, ut natura ipsa, aut paucis artis auxiliis curentur, sicut supra diximus. Interdum vero graviores sunt, aut tales in decursu fiunt, etsi ad genus benignorum spectent, ut efficacior esse debeat curatio, majori morbi intensitati respondens, et ab illa in reliqua exanthemata inflammatoriae indolis non absimilis. Ubi igitur pro mitioribus morbillis praeter temperatam diaetam, potus refrigerantes, et lecti teporem, aliquid faciendum est; ob summam nauseam, et cibi fastidium, saepe inter initia convenit victus tenuissimus, et temperans, scilicet serum lactis, decoctiones hordei, vel oryzae, emulsiones amygda-

Digitized by Google

larum dulcium, juscula carnis vitulinae, fructus horaei. Ubi autem eruptio appareat in facie, levibus diaphoreticis est adjuvanda, ut sunt diluta florum sambuci, aut tiliae; temperatus sit cubiculi aër; aeger in lecto decumbens consuetis operimentis tegatur; vitetur nimia lux, et quaecunque animi perturbatio. Si forte alvus nimis adstringatur, et distendatur abdomen, ut illa leniter ducatur, clysteres sunt injiciendi. Peracta fere pustularum desquamatione, si spontaneae non obveniant dejectiones, lene purgans, ut manna, pulpa tamarindorum, syrupus florum persicorum porrigatur. Denique expleto morbo, aegri teneant convalescentium regimen; sedulo effugiant frigidum aërem, ne perspiratio cutis cohibeatur, et hinc nova febris cum gravibus symptomatibus, nempe dolore pectoris, difficili respiratione, etc; aut asthma; dolor laryngis; diarrhoea; leucophlegmatia suscitentur.

§. 638. Si morbilli vel ob majorem contagii vim, vel ob aetatem, temperamentum aegrotantium, vel ob anni tem-

Digitized by Google

pestatem, aërisque qualitates, vel ob caussarum complicationes, graviores sint, prompta, et efficacia esse debent auxilia. Si sub initio violenta sit febris; pulsus durus, plenus; tussis vehemens; dyspnoea; oculorum inflammatio; gravis haemorrhagia; capitis, et faucium dolor; sollicite instituatur venae sectio, et reiteretur, si premat necessitas. Etiam utilis est sanguinis missio, ubi adest talis plethora, quae liberum morbillorum exitum impediat. Hac enim non solum sedantur symptomata morbi, sed etiam spiracula cutis reserantur. Si haec in infantibus expediat, loco venae sectionis, applicentur hirudines. Si morbillorum symptomata sint vehementiora, sed virium infirmitas venam tundere non sinat, digitalis purpurea est adhibenda. Dari etiam posse mihi videntur folia digitalis purpureae, si, emisso sanguine, eadem persistant symptomata, et si dubii manemus, an iterum sanguis extrahi possit. Praeterea omittenda non sunt alia simplicia antiphlogistica, ut potiones nitrosae, serum

Digitized by Google

tamarindatum, aqua cum cremore tartari, enemata, balnea tepida pedum, quae revellunt, et dolorem capitis sedant. In curatione morbillorum calefacentia, et incitantia maxime nocent, quia praesertim calorem, et anxietatem augent. Inquit Sydenhamius sect. 4. cap. 5. = Medicamenta, et regimen calidiora periculi plenissima sunt, ut frequenter in usum revocentur ab ignaris aegrorum curatricibus, eo animo, ut morbus a corde procul submoveatur. = Non solum autem calidiora medicamina, sed etiam refrigerantia inconsulto adhibita non parum officiunt, quippe quae facilem eruptionem exanthematis impediunt. Inquit Burserius inst. med. tom. 3. §. 76. = In refrigerantium ergo usu medicum considerate, prudenterque se gerere oportet, ne modum unquam excedat, necessariamque effervescentiam, qua in hoc stadio natura utitur ad morbidum virus expellendum, nimium cohibeat. =

§. 639. Interdum etiam leve emeticum, aut eccoproticum locum habet; si-

Digitized by Google

quidem observatur, ejectionibus, aut dejectionibus, sive spontaneis, sive artificialibus, nauseam, cibi fastidium, somnolentiam cedere. Verum cognoscere interest quando emesis, aut purgans expediat. Interdum desunt gastrica signa, sed pertinaciter stipatur alvus, et ex hujus duritie anxietas, et inquietudo augetur. Tum sufficiunt emollientes clysteres, aut aliquod lenissimum eccoproticum. Si vero complicatio morbillorum cum gastricis sordibus, et vermibus adsit, illae detrudendae, hi oppugnandi, et etiam expellendi sunt. Si autem signa talia sint, ut ventriculum saburris gravari indicent, ut halitus foetens, pravus oris sapor, ejectio pituitae, aut bilis ad quaevis ingesta vomitus, lene conducit emeticum, ut exigua dosis ipecacuanhae, aut tartari emetici. Pro pueris aliquod ipecacuanhae granum cum saccharo in cochleari aquae solutum, aut cum aliquo jucundo syrupo, satis est, quod si effectu careat, post breve temporis spatium potest reiterari. Sed si saburrae potius intestina, quam

Digitized by Google

ventriculum oppleant, ut a torminibus, dejectionibus foetidissimis, putrescentibus, hypochondriorum tensione, flatibus, borborygmis deducitur, conducibilius est eccoproticum, ut manna, syrupus florum persicorum, cichorei cum rhabarbaro, aut rhabarbari tinctura, quae pueris maxime juvat. Si autem signa vermium praesentiam patefaciant, ut hi enecentur, et expellantur, purgantia, et anthelmintica requiruntur, ut mercurius dulcis, aethiops mineralis, corallina, semen santonicum, et alia hujus generis.

§. 640. In ipso primo morbillorum stadio nonnunquam flectenda sunt quaedam molesta symptomata, ut praecipue tussis, et convulsiones sunt. Pro tussi dari solent decoctiones pectorales, oleosa, mucilaginea, hypnotica, quae nisi caute porrigantur, potius damnum, quam utilitatem afferunt. Tussis enim non desistit, donec perseveret phlogistica diathesis. Sydenhamius exhibebat pectoralia, et narcotica, et plures ejus methodum sequuti sunt. Ipse inquit loc. cit. = Tussim, quae

Digitized by Google

huic morbo fere assidua est, decocto aliquo pectorali subinde hausto delinitam volui; uti etiam eclegmate aliquo eundem scopum attingente. At prae reliquis diacodium omni nocte ab ipso morbi insultu per totum ejus decursum exhibendum curavi. = Sed narcotica, ut dixi, danda non sunt, nisi necessitas urgeat, praesertim pueris, scilicet nisi vigilia, et tussis maxime affligat. Interdum vero tussis, quae aliis medicamentis non vincitur, applicatione vesicantium fatiscit, quae ex faucibus et pulmonibus acrem humorem extrorsum vehunt. Sed haec etiam quia nimis extimulant, universim reprobantur, et tum admittuntur, cum non solum tussis, sed etiam profundus sopor, delirium, et spasmi corripiant. Aliquando ante eruptionem morbillorum aegri convulsionibus prehenduntur. Nunc hae brevi, et sponte evanescunt; nunc perseverant, et afferunt discrimen. Necesse igitur est protinus eas compescere; sed quaerendum est, ut animadvertit Burserius, quae sit caussa, a qua producuntur. Si enim ori-

Digitized by Google

ginem habeant a dentitione, et nimia nervorum mobilitate, anodyna, ut aqua theriacalis, cerasorum nigrorum, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, spiritus cornu cervi succinatus, tinctura castorei, cum aliquo emollienti clystere; si a vermibus, eccoprotica, et anthelmintica; si a plethora, aut ab aliquo sanguineo fluxu cohibito, sanguinis missio aut generalis, aut localis; si a gastricis impuritatibus, purgans, aut emeticum; si ab acescente lacte, ut in lactentibus obvenit, eccoprotica, et absorbentia conveniunt.

§. 641. Absoluto primo morbi stadio, interdum aut tarda, aut lenta est exanthematis eruptio, aut aequalis, nimirum modo pustulae rubent, modo pallent; aut aliae sunt rubrae, aliae pallidae; aut successive in partibus corporis prodeunt. Si eruptionis libertas impediatur a plethora, aut a febris impetu, statim secetur vena, et apta sunt diluentia, et refrigerantia; si vero a languore virium, incitantia, cardiaca, leviter diaphoretica opem ferunt, ut decoctio radicis scorzo-

Digitized by Google

nerae, dilutum florum sambuci, camphora, spiritus mindereri, haustulus vini, vesicantia; quae remedia etiam pro inaequali efflorescentia accomoda sunt. Si vero extemplo effugiat exanthema, prompte diaphoreticis, epispasticis, cucurbitulis, frictionibus, balneis tepidis extrorsum est revocandum.

§. 642. Etiam in hoc stadio quibusdam symptomatibus mederi debemus, ut tussi, diuturnae vigiliae, diarrhoae, oculorum rubori, et ardori. Quoad tussim, moderate adhibeantur decoctiones pectorales, oleosa, dulcia, ut oleum amygdalarum dulcium, syrupus althaeae, violarum, etc; quoad fere continuam vigiliam, hypnotica. Diarrhoea autem sistenda non est, sed moderanda; idque fit decocto albo, levibus diaphoreticis, clysteribus demulcentibus, qui eluunt intestina. Dum oculi ruborem, et ardorem patiuntur, collyria ex aquis rosarum, sambuci plantaginis et lacte, aut ex decoctione hordei et lacte juvabunt.

Digitized by Google

§. 643. In tertio stadio, cum incipit morbillorum desquamatio, saepe manat aequalis, blandusque sudor, quo penitus resolvitur morbus. Ejusmodi igitur sudor criticus est, ut ab aegri levamine intelligitur; ideoque potionibus tepidis est adjuvandus, et omni diligentia curandum est, ne comprimatur. Si cutis mollis sit, et humida, hic salutaris sudor sperari potest; sed interdum tardus est, et tum levibus diaphoreticis concitandus. Interdum autem a siccitate cutis, doloribus ventris et borborygmis, hypochondriorum tensione, morbum per diarrhoeam solutum iri confidimus. Verum modo haec est modica, et salutaris; modo copiosior, sed si vires valeant, non refraenanda, quia detumescunt hypochondria, et aegri melius se habent; modo est immodica, viresque prosternens, et ideo adstringentibus comprimenda, scilicet diascordio, theriaca, extractum corticis, cascarillae, etc. Si cum diarrhoea molestent tormina, fotus emollientes super ventrem, clysteres ex decoctione hordei, pulpa tamarin-

Digitized by Google

dorum, serum tamarindatum in auxilium vocentur. Si vero perseverent et ingentia sint, ea sedare aliquo medicamine necesse est, ut laudano liquido cum aqua lactucae cochleatim exhibito.

§. 644. Saepe quamvis recta curatio, et cautelae convalescentiae tempore adhibeantur, morbillis etsi benignis et regularibus plures superveniunt secundarii morbi, ut febres, inflammationes, diarrhoea, oedemata, hydrops. Hisce in casibus diversa eligi debent remedia, prout varia est morborum secundariorum natura. Quapropter pro inflammationibus confert antiphlogistica methodus; pro febricula cum phthiseos pulmonaris signis lac, imprimis asininum; pro diarrhoea laudatur a Sydenhamio sanguinis missio, ut ab intestinis morbillosae materiae revellantur. Ipse enim loc. cit. ita inquit = Quin et diarrhoea, quam morbillos excipere diximus, venae sectione pariter sanatur; cum enim halitibus inflammati sanguinis in intestina ruentibus ortum suum debeat (quod etiam in Pleuritide,

Digitized by Google

Peripneumonia, aliisque qui ab inflammatione creantur, morbis usuvenit) a quibus illa ad excretionem stimulantur, sola venae sectio levamen adferet, a qua tunc revelluntur acres isti humores, tum etiam sanguis ad debitam redigitur temperiem. = Verum non semper dejectae vires sanguinis imminutionem patiuntur, et tum potius lac, decoctiones carnis vitulinae ranarum hordei Germaniae, decoctum album, aut pulvis ipecacuanhae cum opio, secundum varios casus locum habent. Denique pro oedemate, et hydrope juvant praecipue diuretica, et exterius tinctura digitalis purpureae frictiones fiant. Sed hactenus de morbillis benignis; modo ad malignos descendamus.

§. 645. Morbilli a plerisque dicuntur maligni, a nonnullis typhodes, qui non solum ob graviora symptomata, sed etiam ob asthenicam indolem a benignis distinguuntur. Hujusmodi morbilli ut plurimum epidemici, raro sporadici sunt. Fiunt interdum maligni a pluribus caussis fortuitis; sed persaepe a quadam aëris

Digitized by Google

constitutione, aut a praepostera medela. Si enim remediis antiphlogisticis non refraenetur inflammatoria diathesis; aut remediis calidis, et incitantibus haec augeatur, facillime morbilli indolem malignam, seu typhodem acquirunt.

§. 646. Sub ipso morbillorum malignorum ingressu summa est virium infirmitas, inquietudo, tussis convulsiva, oscitationes et pandiculationes; deinde saepe corripit frigus, praesertim extremitatum, quod excipit internus calor, et reliqua hujusce exanthematis egressuri consueta symptomata. Praeterea plurima alia prodeunt, quae morbi indolem typhoden ostendunt, ut gravis capitis, et lumborum dolor; anxietas; vertigo; pulsus frequens, parvus; urinae tenues, pallidae; lingua arida, nigra; sitis inexplebilis; cutis sicca; fauces, ut in angina maligna, colore violaceo, et subnigro imbutae; ophthalmia; respiratio difficilis, frequens, parva, inaequalis; dolorosa deglutitio; vox rauca; tussis fere suffocans; excretio nulla; vigilia, aut somnolentia;

Digitized by Google

delirium; nausea, et vomitus; cardialgia; alvi fluxus; haemorrhagiae immodicae; tremores, subsultus tendinum, convulsiones. Eruptio autem aut nimis cita, aut nimis tarda, quam saepe convulsiones universales, et animi deliquia praecedunt. Dum est cita magis solito, secunda die maculae egrediuntur, et plerumque surgunt gravissima symptomata; dum est tardior, post quintam, sextam, septimam, et octavam diem contingit, et plerumque majore virium destitutione consociatur. Pustulae morbillorum malignorum non primum in facie, sed in pectore, aliisque partibus erumpunt, et interdum non universim, sed prius unam, mox alteram partem occupant. Hae raro sunt rubrae, sed modo pallentes, modo livescentes, et plerumque nigrae, dum cutis flaccescit. Post eruptionem omnia perniciosiora fiunt, quod in benignis morbillis non usuvenit, et sub ipsa eruptione interdum moritur aeger. Quandoque hoc stadium ad decimam septimam, aut vigesimam diem producitur. Saepe post eruptionem auge-

Digitized by Google

tur febris; pulsus fit vehementior; urina coloratior; tussis siccior, et frequentior; anxietas major; oculi, fauces, pulmones inflammantur. Quandoque vero evanescunt inflammationis indicia, sed maxime crescit debilitas; alia eruptio antecedentem excipit; exanthemata miliaria, peticulae, purpura morbillis superveniunt; per totum corpus maculae violacei coloris, aut nigri se produnt; cessat plerumque sitis; inflatur venter; pulsus fit maxime frequens, debilis, inaequalis. Quandoque pustulae morbillorum effugiunt, et post earum fugam cito accedunt lethalia symptomata, et mors. Morbilli autem maligni aut non desquamantur, aut sub desquamatione magis intenditur febris, et exasperantur symptomata; vel insurgunt exitiales acuti morbi, ut inflammationes, vel chronici, ut tussis, dyspnoea, oculorum affectus, etc.

§ 647. Ex descriptis symptomatibus evidens est, quam morbilli maligni periculosi sint. Majus vero discrimen a quibusdam signis eruitur, ut sunt ab initio

Digitized by Google

ingens virium debilitas; laboriosa respiratio; pulsus parvus, inaequalis; anxietas; inquietudo; sitis ardens; febris vehemens; eruptio tarda, lenta, inordinata; pallor, livor, nigredo pustularum; post eruptionem capitis, et oculorum immitis dolor; coma; delirium; complicatio aliorum exanthematum, nimirum miliarium, peticularum, scarlatinae, erysipelatis; maculae, et pustulae scorbuticae; inflammationes tempore exiccationis evolutae, et symptomatum exasperatio; morbi chronici, qui a morbo imperfecte resoluto proficiscuntur, ut consumptio, phthisis pulmonaris, dyspnoea, diarrhoea diuturna, hydropes etc.

§. 648. Generatim malignorum morbillorum curatio ponitur in modico calore, satis nutriente diaeta, cortice peruviano, opio, et ex hoc compositis, cardiacis, aromaticis, aliisque remediis, quae in febres nervosas solent usurpari. Sed hujusmodi remedia diversa esse debent, prout complicationes, et syptomata morbi differunt. Si in primo stadio

Digitized by Google

magna est virium dejectio; pulsus languens, parvus; ut plurimum conveniunt carnium juscula, decoctiones oryzae, cardiaca, aromatica, quae naturae vires erigant, sanguinem non excalefaciant, nec nimis incitent. Si vero inter initia, ut interdum evenit, febris est admodum violenta; pulsus durus; et symptomata inflammatoria, expedit sanguinis missio, quae cautissime instituenda est, siquidem cito dejiciuntur vires. Si autem gastrica inquinamenta ventriculum, aut intestina onerent, modo emeticum, modo purgans obtinet locum. Ast investigandum est, quae sit indoles regnantis epidemicae constitutionis, quo melius deprehendatur, an juvet, vel noceat purgatio.

§. 649. Ubi febris est vehemens, naturae motus validiores, ut plurimum morbilli praemature efflorescunt; ubi vero languidiores sunt vires, pulsus est parvus, ut plurimum eruptio tardior est. Hoc in casu praeter lenia cardiaca, et roborantia, apta sunt quae ad cutem revocant exanthema, ut diluta florum sam-

Digitized by Google

buci, tiliae calide hausta, spiritus Mindereri, balnea crurum, fomenta, sinapismata, cucurbitulae siccae pluries admotae, et etiam vesicantia. Si autem spasmi adveniant, antispasmodica prosunt, ut liquor anodynus mineralis, spiritus cornu cervi succinatus, tinctura castorei, etc.

§. 650. Post eruptionem morbillorum malignorum aut magis debilitantur vires; gravitas ampliatur symptomatum; pulsus sunt debiles, celeres, inaequales; anxietas summa, inquietudo, diarrhoea exercent; et tum praecipuum curationis momentum in sustinendis naturae viribus collocatur: aut febris, et caetera symptomata vehementiora fiunt; evidentia signa apparent inflammationis partium, et viscerum, et tum instituenda, et etiam repetenda est sanguinis missio, etsi floreant morbilli; nec praetermittenda sunt antiphlogistica, diluentia, demulcentia, clysmata. Si autem post sanguinis missiones quaedam maneant foenomena, quae non adhuc perfecte inflammationes esse

Digitized by Google

resolutas ostendunt, et eodem tempore evidens sit dejectio virium, camphora, et vesicantia utilitatem afferunt.

§. 651. Cum eruptio in morbillis malignis lenta, imperfecta, inordinata, et varius pustularum color, aut pallidus, aut niger, ut plurimum a defectu virium dependeat, praeter quae materiem morbillosam ad cutem vocant, ut calida diluta florum sambuci, tiliae, spiritus Mindereri, stibium diaphoreticum, etc., juvant incitantia, ut camphora, radix contrayervae, serpentariae, etc. Sed si pustulae livescant, et nigrescant, eodemque tempore flaccida sit cutis, cum id non solum ab infirmitate virium, sed a prava humorum indole nascatur, conveniunt roborantia, et antiseptica, inter quae cortex peruvianus eminet. Dum vero pustulae improviso retrocedunt; hae statim ad cutem reducendae sunt, quod vesicantibus, frictionibus, sinapismis, balneis crurum, diaphoreticis obtinetur.

§. 652. Graviora symptomata, quae in morbillis malignis majorem attentio-

Digitized by Google

nem postulant, sunt tusses, haemorrhagiae, alvi fluxus, sudores. Etenim si tussis sit molesta, sicca, suffocans, usurpanda sunt quae eam mitigant, et sedant, ut decoctiones hordei, radicis althaeae, dilutum florum violarum, oleosa, et vespere opiata; si sit humida, et sputa viscida, et tenacia, quae incidunt, et expectorationem movent, ut dilutum tussilaginis, oxymel simplex, vel scilliticum, chermes minerale, etc. Si autem contingant haemorrhagiae, hae sinendae sunt, dummodo leves, et vires minime dejicientes; sed si immodicae, et nimis debilitantes, ut ex pallore faciei, extremitatum frigore, et pulsu debili colligitur, adhibeantur adstringentia, inter quae primum locum tenent acida mineralia. Sed huoniam bujusmodi acida irritabilitatem fibrarum frangunt, etiam roborantia, praesertim cortex peruvianus, linquenda non sunt. Sic dum alvi fluxus obveniat, qui non solum deleat vires, sed etiam retrocessum pustularum inducere valeat, diascordio, theriaca, extracto corticis peruviani, cascarillae prom-

Digitized by Google

pte compescendus est. Interdum prorumpit sudor modicus, et sublevans, qui infusis diaphoreticis est adjuvandus; sed interdum est profusus, et vitae vires exscindens. Hoc in casu jusculis, et haustulo generosi vini sustinendae sunt fatiscentes vires, dummodo nulla adsit inflammatio. Si lintea, et indusia humida evadant, substituantur sicca, et leviter excalefacta; sed cavendum est, ne aëger frigus suscipiat, aut actionem nimii caloris patiatur, ut perspiratio cutis modica servetur.

§. 653. In tertio stadio, nisi superveniat alvi fluxus criticus, qui resolvat morbum, etiam post exiccationem pustularum, et cuticulae desquamationem, blandus sudor promovendus, et custodiendus est. Idcirco per plures dies dentur diluta florum sambuci, tiliae, decoctiones radicis scorzonerae, corticis ligni sassafras, etc. Etiam desquamatione peracta, sedulo convalescentes aërem frigidum effugiant; victu tenui nutriantur; aliquod leve purgans sumant. Hoc autem

Digitized by Google

ut plurimum repeti debet, sed habito respectu aetati, viribus, temperamento convalescentium, et symptomatibus, quae in decursu morbi se protulerunt.

§. 654. Mala, quae post morbillorum exiccationem, et desquamationem accedunt, ut inflammationes, suppurationes, tusses, diarrhoeae, hydropes, etc. peculiarem, et efficacem curationem exposcunt. Peripneumonia curatur sanguinis missionibus, aliisque propriis remediis; sed interdum non adeo vires valent, ut sanguinis missiones perferant; et tum digitalis purpurea, vesicantia, sinapismata, pediluvia praecipua sistunt auxilia. Devicta autem pulmonum inflammatione, lac, et decoctiones carnis vitulinae, ranarum, hordei Germaniae per quadraginta, aut quinquaginta dies adhibeantur. Aliquando si haec inflammatio non resolvatur sed in suppurationem transeat, serum lactis, lac asininum, decoctiones hordei, oryzae, expectorantia, et haustus ex sex, aut octo unciis decoctionis corticis peruviani quotidie sumptus curatio-

Digitized by Google

nem explent. Si vero signa phthiseos pulmonaris compareant, ut lenta febricula, consumptio, sputa purulenta, vox rauca, sudores nocturni, colliquativi, remedia mucilaginosa, gelatinosa, nutrientia, roborantia juvant, ut gelatina lichenis Islandici, lac, haustus corticis peruviani, et ubi vires sinant, aliqua corporis exercitatio, ut horis antemeridianis deambulatio, et vectio per salubria rura. Interdum post morbillorum malignorum cursum concitatur febris, quae lenta fit, et hectica, quin in pulmonibus suppuratio, aut exulceratio subsit. Haec febricula utpote a morbillorum reliquiis nata, curanda est edulcorantibus, ut est lac asininum, serum lactis, decoctiones carnis vitulinae, ranarum, cancrorum fluviatilium, hordei Germaniae, etc. Tussis morbillis malignis superveniens est pertinax, et frequenter in phthisin pulmonarem convertitur. Haec saepe quaerit in initio sanguinis missionem; deinde expectorantia, edulcorantia, vesicantia, paregorica. Etiam adveniens diarrhoea saepe diuturna

Digitized by Google

est, viresque abolens. Haec inter initia pulpa tamarindorum; deinde roborantibus, et paregoricis curanda est, scilicet opio, et ex hoc compositis, cortice peruviano, cascarilla, etc. Hydropes curantur prius catharticis, et diureticis; mox chalybeatis, et roborantibus. Quomodo autem sanentur ophthalmiae, earumque sequelae, in lib. de inflammationibus satis exposuimus.

§. 646. Tandem nemo dubitat, quin existat febris morbillosa sine morbillis, ut variolosa febris sine variolis, siquidem ab indubiis summorum clinicorum observatis id confirmatur. Hujusmodi febris eodem modo ac morbilli super cutem erumpentes decurrit, iisdem stipatur symptomatibus, ac eamdem expetit medelam. Caussa enim est morbillorum virus, quod licet subtile, fugax, volubile, vel per meatus cutis expirantes avolans, vel per alia loca secretum se subripiens, tamen sanguini immixtum, eadem affert symptomata, ac morbilli super cutem egressuri. Loquitur autem Sydenhamius sect. v. cap. 3.

Digitized by Google

de febre morbillosa, quae ut morbillorum anomalorum, et malignorum varietas habenda est, sicut animadvertit Burserius. In hac enim morbilli circa truncum, collum, humeros exiliebant. Haec autem febris, quae ad diem decimam quartam, et etiam aliquando ulterius extendebatur, eodem modo, ac morbilli curari debebat, qui anno 1674. maligni, sive anomali Londini grassabantur, ut a sequentibus auctoris verbis apparet = Duobus primis mensibus, quibus haec morbillorum species se prodebat, intercurrebat et febris quaedam morbillosa hic illic sparsa, in qua εκθύματα nonnulla per truncum corporis, colli praesertim posteriora, atque humeros erumpebant, ecthymata morbillorum imitantia; a quibus in illo saltem disterminabantur, quod non universum corpus pariter occuparent, quas diximus, partibus contenta; febris enim (licet ejusdem plane generis) immanior erat, et ad dies 14. nonnunquam etiam plures, protrahebatur. Nec venae sectionem tulit haec febris, nec enemata, ab

Digitized by Google

utrisque irritata; at methodo quae morbillis superius dicata est, lubens concessit.

§ 666. Rubeola variolodes, et anginosa inter morbillorum species a Sauvagesio recensitae, ad eos non videntur pertinere. Prima enim ad naturam variolarum accedit, et ut earum species, aut varietas consideranda est, sicut ab ipsius auctoris descriptione patet, qui Nosol. method. class. 3. ord. 1. gen. IV. spec. 3. inquit = Est ea species Parisiis familiaris, in qua post praeludia morbillorum, scilicet tussim siccam, coryzam, epiphoram, etc, superveniunt papulae acuminatae, multo majores, quam in Rubeola vulgari, quaeque vestigia sui relinquunt; an vero ad variolam referenda sit, dubito, quippe notum est, variolam etiam mali moris non raro incipere a catarrhali affectu seu tussi, lachrymatione, oculorum splendore, uti Rubeola vulgaris = Altera autem, ut videtur Burserio, spectat potius ad anginam malignam, aphthosam, cum miliari exanthemate conjuctam. Igi-

Digitized by Google

tur hujusmodi species secundum earum naturam curandae sunt.

§. 657. Notum est, morbillos posse per insitionem propagari, quam Homius, ut creditur, primus expertus fuit. Quoniam ipse nec fluidam materiem, nec defluentes epidermidis squamulas potuit colligere, eduxit sanguinem a superficialibus venis per levem incisionem illius partis, ubi magis copiosa erat eruptio, eoque infecit gossipium; deinde sine ulla praeparatione hoc imposuit, ligavitque vulnusculo, quod utrique brachio illius, cui fieri debet insitio, infligitur. Ipse refert, inoculationis exitum expectationi respondisse; nam sexta ab insitione die oritur ut plurimum sub vesperam febricula, tussis, et alia symptomata, quae mitiora sunt; nec febris hectica, nec tussis pertinax, nec ophthalmia subsequi consuevit. Igitur in inoculatis morbillis nulla videtur adesse pulmonum affectio, et omnia symptomata leniora. Dicitur, contagium morbillorum propagari etiam saliva, lacrymis, et epidermidis squamulis,

Digitized by Google

quibus nonnulli loco sanguinis usi sunt. Proponit Darwinius ad insitionem materiem è naribus excretam, aut aquae guttulam super eruptionem effusam, qua sublata, leviter deinde fricetur cutis cum lanceola. Quaerit denique, an ad hunc finem collectae squamulae, et pauca aqua calida madidae, aptae sint. Pauci vero fuerunt insitionis morbillorum sectatores, ita ut ab ipso initio ea pene obsoleverit; nec desunt, qui asserunt, ab insitione graviorem oriri morbum. Tamen quia Homius bonos effectus vidisse testatur, plures cum Vogelio arbitrantur, in epidemicis constitutionibus morbillorum malignorum faciendam esse insitionem, ut mitior, et benignior morbus fiat. Haec vero operatio inutilis prorsus foret, si regnantes morbilli benigni, et mites sint.

Digitized by Google

Zoster.

§. 658. Zoster Ζωστηρ, seu zona, Ζωνη est exanthema febrile pustulosum, unam corporis partem adinstar cinguli ambiens, et aliquot transversos digitos latum, cujus pustulae partim conglomeratae et in racemos dispositae, partim discretae, dolentes, rubrae, et ardentes sunt, maxime noctu. Omnes repetunt, primum inter veteres fuisse Plinium, qui de hoc morbo locutus est, etsi brevissime. Ispe enim inquit Hist. nat. lib. XXVI. cap. XI. = Ignis sacri plura sunt genera, inter quae medium hominem ambiens, qui Zoster appellatur, et enecat, si cinxerit. = Revera alii veteres aut obscure zonam, aut non hanc, sed erysipelas descripserunt. Posterioris vero memoriae scriptores, ut Tulpius, Hoffmannus, Haenius, aliique plu-

Digitized by Google

res, plus vel minus diffuse, et accurate eam delinearunt, et alii ad erysipelas, alii ad herpetem retulerunt. A Sauvagesio modo zona consideratur, ut herpes, nam Nosol. method. class. 1. gen. 7. spec. 9. Herpes zoster; modo, ut erysipelas, nam class. 3. gen. 7. spec. 8. erysipelas zoster ab eo appellatur. A Cullenio autem Nosol. Method. gen. XXXI. spec. 2. erysipelas phlyctaenodes dicitur. Verum dubius haeret, an zoster ad erysipelas spectet, ut patet ex hisce verbis = An haec species ad idem cum erysipelate vesiculoso genus recte referatur, dubito; sed judicent periti. = Nos vero, qui ut peculiare exanthematis genus zonam judicamus, non solum secundum alienas, sed etiam secundum nostras observationes eam erimus descripturi.

§. 659. Hujusmodi exanthema ut plurimum incipit febre cum horrore, quae aut levior, aut gravior est. Dum est levis, vix acceleratur circulationis motus; augetur calor; aliqua sitis, inappetentia, oris amarities, inquietudo molestat; dum

Digitized by Google

est gravior, calor est acer, exercent vigiliae, delirium, spasmi, vomitus, cephalaea, anxietas, inquietudo, corporis jactatio, difficilis respiratio, aliaque symptomata. Nonnunquam omnino deest febris, aut a dolore, et suppuratione pustularum suscitatur levissima, quae mane evanescit. Si febris non evolvatur, per aliquot dies aegroti male se habent. Hi autem in illis locis, ubi exanthema est proditurum, semper maximum ardorem, et tensionis sensum, et puncturas patiuntur. Post eruptionem aut cessat febris, aut valde imminuitur, aut permanet, si morbus vehementior sit, et complicatus, imprimis cum gastrica biliosa saburra. Dum inchoat eruptio, comparent parvae, et rubrae maculae, quae mox elevantur, et pustulas, seu phlyctaenas efformant, pisi magnitudinem aequantes. Hae partim confluentes, conglomeratae, racemosae; partim discretae sunt, ad basim inflammatae, et urentem, ac igneum ardorem excitantes, unde morbus ignis sacri, aut ignis S. Antonii nomen obtinuit. Pustu-

Digitized by Google

lae in apicibus humorem limpidum, transparentem, flavescentem, et acrem continent. Hic vero humor variis vicissitudinibus subjicitur; nam fit turbidus, opacus, purulentus, sanguinolentus. Pustulae autem, quae exanthema constituunt, ita disponuntur, ut cingulum adaequent unam corporis partem ambientem, ut a medietate sterni ad spinas vertebrarum dorsi, aut a linea alba ad spinas vertebrarum lumbalium. Efflorescentiae tempus inconstans est; sed ut plurimum ad tres extenditur dies. Priusquam vero exiccatio incipiat, aut pustulae rumpuntur, aut deprimuntur, aut corrugantur; fuscum colorem gradatim acquirunt; nam emoritur cutis, et ab ejus gangraena efformantur escharae. Exiccatis pustulis, cito crustae durae, et nigrae decidunt, vestigium in cute liquentes, non secus ac malignae variolae. Ast interdum pustulae exulceratione terminantur. Enimvero in suppuratum abeunt, et sponte apertae per aliquot dies, aut hebdomadas emittunt pus. Aliquando exiccationis tem-

Digitized by Google

pore, et post exiccationem ipsam non conquiescit dolor, sicut plures animadvertunt auctores.

§. 660. Zonam unum tantum corporis latus afficere, fere costanter observatur, quaecunque sit ejus sedes, nimirum caput, collum, pectus, abdomen, extremitates. Si enim obsideat caput, unum tantum cingit hemisphaerium; si collum, a media larynge ad mediam nucham producitur; si pectus, ut diximus, a medietate sterni ad spinas vertebrarum dorsi, si abdomen, a linea alba ad spinas vertebrarum lumbalium; si extremitates aut superiores, aut inferiores, in uno tantum latere efflorescit. Cur vero zona alias partes occupet, alias integras relinquat: cur sub cinguli specie partes circumdet, penitus ignoratur.

§. 661. Burserius inst. med. §. 52. differentias exposuit quae zonam ab erysipelate simplici, bulloso, et ulceroso, et ab herpete, praesertim exedenti distinguunt, quod etiam alii faciunt scriptores. Hujusmodi differentiae sic breviter adno-

Digitized by Google

tantur. Erysipelas super cutim rubore roseo floret; zona a pustulis elevatis, magisque profundis constituitur. Erysipelas bullosum in suo augmento stipatur phlyctaenis; zona in ipso initio. Erysipelas ulcerosum discernitur ab ulceribus, quae latius serpunt, diuque perseverant; ulcera vero zonae sunt parva, circumscripta, curatu facilia. Herpetes sub specie cinguli non prodeunt, et eorum pustulae sunt minores, minusque dolentes, et inflammatae; sed si herpetes sint exedentes, ulcera praeseferunt depascentia, et diuturna; zona est plerumque acutus, brevisque morbus. Rarissime enim chronicus est, cujus laudatus Burserius loc. cit. unum tantum ita refert exemplum. = Nam quamquam Lorryus, et chronicum, et interdum epidemicum esse existimet, quod de igne sacro late sumpto fortasse ei concedendum est, hanc speciem tamen diutinam non vidi, nisi semel in vetula, quam stigmata pustularum sub omoplata sinistra ad aliquot menses summo cruciatu, atque ardore pertinaciter divexarunt. =

Digitized by Google

§. 662. Caussa materialis zonae quaedam videtur esse materies acris, urentisque naturae, quae dum in aliquo corporis loco figitur, nervos, vasa, et textum cellulosum irritat, inflammat, cumque rodit, et urit. Magis huic morbo proclives sunt homines debiles, cacochymici, aliqua lue laborantes, ut scorbutica, arthritica, venerea. Frequentiores vero excitantes caussae sunt retenta insensibilis perspiratio, abusus vini, liquorum spirituosorum, cerevisiae; cibi acres, salsi, aromatici; aliique errores in diaeta; animi pathemata, praesertim ira. Schwartz diss. de zona serpiginosa, et Plenck de morb. cut. plus semel hunc morbum a vehementi ira productum vidisse affirmant. Ex hisce caussis paratur forsan illa materies, quae morbum generat. Interdum zona critica est; cum scilicet aliis morbis aut pectoris, aut abdominis succedit, eosque non raro feliciter solvit, ut aliquando observavimus.

§. 663. Zoster est morbus, qui vigilias, et cruciatus saepe adfert, sed ut

Digitized by Google

plurimum periculo vacat. Lethalis creditur a Plinio, si totum corpus afficiat, circumque ambiat; periculosus, et malignus a Platnero, et Hoffmanno. Verum plerique experientia edocti testantur, zonam periculo carere. Tamen si sit complicata; si improviso retrocedat, et viscera nobilia, et vitalia impetat; si praepostere curetur, magnum afferre potest discrimen. Malignissima autem zona, de qua loquitur Hoffmannus, in corporibus senilibus, eminentius cacochymicis, et nonnunquam in febribus malignis, et pestilentialibus comparens, absque dubio symptomatica esse mihi videtur.

§. 664. Sollicita obtinetur sanatio, dum zona regulariter procedit, et materies acris, et urens ad exteriora libere fertur; ideo praeposteris auxiliis turbandus non est illius cursus, et materiei exitus diluentibus, leniterque diaphoreticis adjuvandus, ut sunt serum lactis, decoctiones hordei, jura carnis vitulinae cum hordeo Germaniae, emulsiones seminum melonum, dilutum florum sambuci, quibus

Digitized by Google

adjici solet nitrum, aut stibium diaphoreticum, si efficacius agere velimus. Aegrotantes autem crebris egelidisque haustibus bibant. Si dolores sint graves, et diuturnae vigiliae, ad conciliandam quietem mitiora paregorica porrigantur. Extrinsecus autem adhibeantur, quae molliunt et dolorem compescunt, ut fomenta ex lacte tepido, et decoctiones malvae, aut cataplasmata ex mica panis malva et lacte, oleum è vitellis ovorum recens expressum; nec relinquantur, etiamsi pustulae exiccatae sint, ut mollescant partes, faciliusquae decidant escharae. Hisce vero delapsis, et penitus absoluto morbo, leve purgans conducit.

§. 665. Ex descriptione morbi patet, quam raro venae sectio conveniat; tamen ubi adest cum diathesi inflammatoria complicatio, et vehementia urgent symptomata, ut acuta febris post eruptionem non remittens; pulsus plenus, durus; summus capitis dolor; faciei rubor; respiratio valde anxia, et difficilis, ut in pleuritide; delirium; affecta pars

Digitized by Google

vehementer doleat, et tumeat; sanguinis missio, et antiphlogistica remedia idonea sunt. Si vero dubium sit, an sanguinis imminutio expediat, tutius erit consilium hirudines, aut cucurbiculas scarificatas admovere, quae levamen afferunt, ut nonnunquam Burserius expertus est. Ast semper caute sanguinis missiones generales praecipiantur; nam si fiant, ubi non conveniant, levi negotio morbi materies introrsum revocatur. Etiam purgantia inter initia plerumque nocua sunt, utpote quae periculosae metastasi ansam praebent. Si vero in primis viis aliqua impuritas delitescat, emollientibus clysteribus eam subducere satius est. Ast si tanta sit saburrarum quantitas, imprimis biliosarum, ut tamquam, gastrica complicatio haberi possit, solum lenissima eccoprotica accomoda sunt, ut oleum amygdalarum dulcium sine igne expressum, seminum lini, syrupus de cichoreo cum rhabarbaro, florum persicorum. Tandem si versus morbi finem, aut post morbum, ob ejus vehementiam, vel diuturnita-

Digitized by Google

tem dejiciantur vires, usurpentur tonica, inter quae cortex peruvianus, ejus extractum, et vinum praeminent.

GENUS QUINTUM

Pemphigus.

§. 666. Exanthema persaepe febrile a bullis constitutum, quae in variis corporis partibus, sed speciatim in facie, et collo, ac interdum per universum corpus erumpunt, et ad nucis avellanae magnitudinem perveniunt, humore seroso, vel ichoroso repletae, per plures dies manentes, ardorem, et pruritum excitantes, donec aut disrumpuntur, et humorem contentum effundunt, vel hoc absorpto, exiccantur, dicitur pemphigus, deducto nomine a bulla, graece πεμφιξ nuncupata. Dum incipit eruptio, deprehenduntur maculae rubrae mox in bullas abiturae, quae inter cutem et cuticulam efformantur, et humorem prius limpi-

Digitized by Google

dum, deinde subflavum includunt. Hic morbus, qui ante Sauvagesium febris bullosa vocabatur, rarus est, et parum veteribus Graecis, et Arabibus notus. In libris epidemiorum Hippocratis nulla invenitur historia, quae singillatim huic congruat.

§. 667. Pemphigus dividi solet in primarium, et symptomaticum; benignum, et malignum; acutum, et diuturnum; sporadicum, epidemicum, et contagiosum: sed omnes hanc divisionem non amplectuntur, quia circa morbi naturam dissentiunt. Cullenius proclivis est ad judicandum pemphigum, ut morbum semper symptomaticum, cum omnia fere de eo dicta, dubia, obscura, et ambigua videantur, ut ipse inquit. Verum propria etiam experientia asserere possumus, interdum, licet raro, eum esse primarium, qui scilicet a suis caussis dependet, et praefinitum cursum explet. Persaepe quidem symptomaticus est pemphigus, quem in febribus intermittentibus, gastricis, nervosis; in inflammationibus; in

Digitized by Google

affectione hysterica, et arthritica; in dysenteria expertissmi observarunt clinici. Quinque species a Sauvagesio statutae Nosol. method. class. 3. gen. 3. nempe 1. Pemphigus major; 2. pemphigus castrensis; 3. Pemphigus Helveticus; 4. pemphigus Indicus; 5. Pemphigus Brasiliensis; pemphigum symptomaticum referre videntur. Alii hunc morbum negant esse contagiosum; alii admittunt ejus contagium, ut Thiersyus, qui descripsit pemphigi epidemiam, quae in Gallorum exercitu Pragae grassata est; Langhansius, qui aliam in Helvetia regnantem narrat; Bontius, qui aliam apud Indos observavit, dysenteriae junctam. Ex horum scriptorum observationibus deprompsit Sauvagesius secundam, tertiam, et quartam speciem, quae vero, ut diximus, potius ad alium morbum, quam ad pemphigum primarium spectant. Willan de morbis cutaneis tres pemphigi varietates designavit, nimirum vulgarem, contagiosam, et infantilem; et affirmat, duas primas varietates nunquam vidisse, sed so-

Digitized by Google

lum tertiam in debilibus, et consumptis infantibus, qui saepe hoc morbo enecantur. Divisio magis accepta illa est, quae in acutum, et chronicum pemphigum distribuit; quamvis dum hic diuturnus est, ut plurimum symptomaticus videtur. In arthriticis ex. gr. post artuum dolores comparent vesicae, quae diu permanent, et interdum transeunt in ulcera.

§. 668. Qui pemphigum primarium admittunt, minime dubitant, quin modo benignus, modo malignus sit. Hic est saepius epidemicus, et interdum contagiosus; ac in castris, orphanotrophiis, praesertim insalubribus, evolvitur. Benignus inflammatoriam indolem; malignus nervosam praesefert. Ille enim stipatur febre, et phlogisticis symptomatibus; hic febre typhode, summa virium infirmitate, nervosisque symptomatibus, ut a sequenti utriusque speciei descriptione liquet.

§. 669. Benignus pemphigus incipit plerumque febre miti, aliqua lassitudine, et capitis dolore; prima, secunda, aut

Digitized by Google

tertia die in variis corporis partibus se produnt maculae; deinde attollitur epidermis, et formantur vesiculae, quae humorem subflavum et serosum continent. Hae per aliquot dies manent; mox rumpuntur, et humorem emittunt, aut hoc resorpto exiccantur, et epidermis in frustula decidit subnigra, quod intra septem dies obvenit. Quandoque primis morbi diebus aliquod occurrit symptoma, quod cito desinit, ut aliqua deglutiendi difficultas, nausea, vomendi desiderium, aut vomitus, imi ventris dolores. Malignus vero pemphigus initium sumit a febre, quae variam speciem mentitur. Modo enim continua continens, ut synochus putris, aut magis ad nervosam accedens; modo continua remittens, ut biliosa, apparet. Ut plurimum magna est virium destitutio, et gravia sunt symptomata, ut dysenteria, vomitus, respiratio laboriosa, deglutitio valde laesa, tumores parotidum, etc. Saepe ubertim vesicae in variis partibus exiliunt, et eodem loco, ubi disrumpuntur, aliae succrescunt. Sae-

Digitized by Google

pe etiam oris cavum, fauces, pharyngem tenent, nec non intestina, ut a cruento alvi fluxu deducitur. Implentur humore corrosivo, qui mox sanguinolentus evadit. Hic subinde prompte absorbetur; subinde diu manent vesicae, quae tandem rumpuntur, manante acri, foetidoque humore. Vesicae autem aut discindantur, aut exarescant, locus, ubi sedem habuerunt, tenui, et obscura crusta tegitur, quae secedit. Rarissime relinquuntur foveae, sed diu persistunt macularum vestigia.

§. 670. Ex ipsa pemphigi historia liquet, in quo hic morbus a miliari exanthemate, praesertim albo, et a variolis aquosis, et crystallinis differat. Album enim exanthema miliare vesiculas exhibet grano milii non majores; in pemphigo vesicae sunt nucis avellanae magnitudine, licet interdum majores, raro minores. Variolae autem aquosae, et crystallinae multam cum pemphigo similitudinem ostendunt, sed earum vesicula, maxime si confluant, pure turgent; in

Digitized by Google

pemphigo bullae nunquam pus, sed serum subflavum comprehendunt.

§. 671. Cum pemphigus est symptomaticus aliis primarii morbi symptomatibus adjungitur. Plurimorum autem morborum esse potest symptoma, ut jam innuimus; sed frequentius febrium nervosarum, et aegritudinum, quae habent indolem typhoden. Nonnunquam oritur ab hysterica affectione, unde hystericus dicitur, cujus historiam refert Petrus Franchius epit. §. 359. Sic aliquando ab affectione rheumatica scaturit, et tum dolores capitis, colli, lumborum, artuum, difficilis respiratio, et alia symptomata hujus affectionis propria praecedunt; deinde exiliunt bullae majores vel minores, plus aut minus manentes, et interdum in ulcera abeuntes. Apud auctores plura pemphigi symptomatici exempla inveniuntur.

§. 672. Caussa primarii pemphigi ignoratur. Plerique recentiores hujusce exanthematis contagium negant; nam ille pemphigus contagiosus, de quo narran-

Digitized by Google

tur historiae, febrium, aut morborum contagiosorum esse videtur symptoma. Insuper pluries a clinicis observatum est, haudquaquam per contagionem se diffundere pemphigum, etsi malignum. Hunc enim septies observavit Dickson haud a contagio natum, nec per hoc in familiam propagatum. Burserius dum pemphigi non febrilis, et maligni historiam narrat, inquit, contagione in assidentes, aliosque domesticos minime se diffudisse. Occasionales vero caussae frequentiores sunt immodica humorum jactura, inedia, animi pathemata, corruptus aër. Dum pemphigus est symptomaticus ab aliis morbis, sed saepius nervosis, et contagiosis, ut alia exanthemata, et impetigines, habet originem.

§. 673. Pemphigus benignus periculo caret; malignus vero alea plenus est, et lethalis. Dum mortem non adfert, ad decimam quartam diem extenditur. Ad praesagiendum vero de hoc morbo, symptomata, bullae quoad numerum, sedem, aspectum, aegri vires perpendan-

Digitized by Google

tur. Etenim si mitis sit febris, et symptomata; bullae paucae, et externas partes solum occupantes, humore subflavo repletae; vires valeant, jure sperandum est. Contra si febris sit vehemens, et gravia symptomata, ut respiratio difficilis; dysenteria; parotidum tumores; vesicae numerosae, non solum externas sed etiam internas partes, ut pharyngem, oesophagum, intestina obsidentes, et acri humore, ac sanguinolento turgidae; destitutio virium; ulcera in quae abeunt vesicae livescentia, valde timendum est. Dum exiccantur vesicae, et absorbetur inclusus humor, ab hac absorptione nullum affertur damnum. Dum autem vesicae rumpuntur, saepe succedunt ulcera. Animadvertendum est, quod ubi deest febris, non semper dici potest pemphigus benignus. Burserius enim cujusdam viri octuagenarii historiam refert qui repente aliquot ampullis serosum humorem continentibus in variis partibus correptus sine febre, intra quatuor, aut quinque dies expiravit. Si vero pemphigus sit sym-

Digitized by Google

ptomaticus, a natura primarii morbi eruitur prognosis; ut ex. gr. si febrium nervosarum sit symptoma, grave indicat periculum. Si a nervorum imperio habeat scaturiginem, saepe diuturnus est, non secus ac alia exanthemata, et impetigines.

§. 674. Si pomphigus sit benignus et mitis, vel sponte dissipatur, vel pauca, et levia auxilia sufficiunt, ut aliqua alvi ductio, diaphoica mitiora, modicus victus. Si vero gravior, aut malignus, efficaciora medicamina vocentur in usum. Generatim hujusce morbi curatio duplex est. Etenim vel hic sub quadam inflammatoria specie corripit, et tum febris est vehemens, pulsus durus, aucta nimis vasorum actio; vel sub specie typhode, et tum summa est virium infirmitas, exiguus pulsus, febris nervosis symptomatibus stipata. In primo casu expedit antiphlogistica methodus; et nonnulli, ut Carolus Piso, aliiqui sanguinis missionem proponunt, et reliqua antiphlogistica remedia. In altero roborantia, cardiaca, antiseptica auxilio sunt. Si vero gastrica-

Digitized by Google

rum saburrarum ventriculi, aut intestinorum adsint signa, purgatio levis, aut leve emeticum praemittendum est. Dein acida mineralia, aqua diluta; cortex peruvianus, aut sub forma infusionis, aut decoctionis, aut pulveris exhibitus; vinum; confectio alchermes, etc. emolumento sunt. Si phlyctaenae percurrant oris cavum, gargarismata detergentia conferunt; si ex signis deprehendatur, etiam affici alimentarem tubum, potiones ex decoctione hordei et lacte, aut mucilaginosae idoneae sunt. Si acetum bezoarticum in epidemia Pragensi solum remedio fuit, ob vim ejus antisepticam id contigisse, conjiciendum est. Quidam practici, si sponte vesicae non discindantur, majores forfice caute aperiunt. Haec vero artificialis vesicarum disruptio universim non suscipitur; siquidem sine damno absorberi serum in his contentum, experientia compertum est. Nihilo tamen minus nil vetat, quominus secentur vesiculae, quae deinde localia remedia non indigent. Observandum est, quod in curatione

Digitized by Google

pemphigi ut plurimum incitantia remedia utilia sunt; nam hic a caussis debilitantibus oritur, et persaepae aggreditur corpora universali debilitate confecta. Denique si pemphigus sit symptomaticus, curatio convenit in primarium morbum opportuna. Idcirco si proveniat a gastricis affectionibus, evacuantia; si ab inflammationibus viscerum, venae sectio, etiamsi efflorescat exanthema; si ab hysterica passione, antispasmodica; si a diathesi rheumatica, diaphoretica adhibeantur. Pro illis autem, qui a morbo convalescunt, non omittantur tonica remedia, et salubris diaeta, ut roborentur, fulcianturque vires.

Digitized by Google

GENUS SEXTUM

Aphthae.

§. 675. Aphthae, a Petro Franchio internum exanthema vocatae, quippe quae ut plurimum in superficie labiorum, cavitatis oris, faucium, oesophagi, ventriculi, et intestinorum florent, sunt pustulae albae, cinereae, rotundae, superficiales, magnitudine granorum milii, humore seroso saepe refertae, foraminulum in centro gerentes, modo solitariae, modo coalescentes, plus vel minus lactis suctionem in lactentibus, masticationem, deglutitionem, et digestionem in adultis laedentes. Confundi igitur non debent cum aphthis veterum, qui hoc nomine intelligebant ulcuscula oris, saepe solitaria vel pauca, maculam albam, vel flavam in medio referentia, in ambitu rubra, inflammata, dolentia. Graecum nomen ἄφθα ab Hippocrate

Digitized by Google

usurpatur non solum ad oris ulcuscula denotanda, sed etiam illa, quae alias partes occupant, ut fistulam pulmonis, et genitalia. Haec enim aliquando obsident aphthae, quae a lue venerea non habent originem, et illis oris simillima sunt. Cum igitur antiquitatis scriptores aphtharum vocabulo ulcuscula oris praecipue significarent, ita Boeraavius aphthas §. 979. definivit = Sunt autem parva, rotunda, superficialia ulcuscula, os internum occupantia. = Sed Swietenius in hujusce textus expositione aphthas non esse ulcuscula hisce verbis declarat = Proprie enim loquendo ulcuscula non sunt, sed pustularum in more supra superficiem partium oris interni elevantur, et dum separatae decidunt, integram omnino partem, cui adhaeserunt, relinquunt, cum veterum aphthae manifestum cavum ulcerosum, licet exiguum habeant. = Hoc antea fuit a Ketelaer in tractatu de aphthis observatum, ut Swietenius fatetur, deinde ab aliis scriptoribus inter quos numeratur Plenck, qui

Digitized by Google

de morb. cutan. class. 10. inquit = Incipiunt aphthae sub forma vesicularum miliarium albarum, quae in apice foraminulum gerunt, dein collabuntur, et aliquantulum latescunt. =

§. 676. Aphthae dividi debent in primarias, symptomaticas, et secundarias; quamvis plures dubitant, an extent revera primariae. Hae apud nos in adultis rarae oppido sunt; sed in regionibus frigidis, depressis, humidis frequentius observantur. Ubique vero recens natis familiares sunt, maxime illis, qui in orphanotrophiis, locis humidis, parumque salubribus enutriuntur. Symptomaticae autem ut malignae, quae febribus mali moris superveniunt, syphiliticae a viru venereo productae, et scorbuticae a scorbuto, sub vario aspectu prodeunt, pro diversa natura primarii morbi, cujus soboles sunt. Secundaria dici possunt, quae a praegressis morbis nascuntur, ut illae, quae post morborum cutaneorum retrocessum comparent, aut dum acuti mor-

Digitized by Google

bi perfecta crisi non resolvuntur, ut observavit Katelaer.

§. 677. Cum in infantibus, praecipue recens natis proditurae sint aphthae primariae, praecedere solet febris, plus minusve vehemens; molestant vigiliae, inquietudo, difficultas sugendi lac, linguae siccitas, sitis, nausea, vomitus, interdum diarrhoea; lactentium labia, et oris cavitas tam calent, ut arreptam mammae papillam nimis excalefaciant, et etiam inflamment; continuus est aegrotulorum ploratus, et ejulatus. Alibert, inter alia symptomata aphtharum propria, tam ingentem, et inestinguibilem sitim, ut a continuis et largis potionibus ex aqua hordei sedari minime posset, et ob assiduum fletum, et ejulatum vocem raucam redditam observavit. Post tres, aut quatuor dies in labiis, gingivis, lingua, faucibus erumpunt aphthae, quae prius solitariae, mox copiosissimae fiunt. Partes ubi exiliunt, rubescunt, tument, et linguae papillae inflammantur. Sub eruptione augentur symptomata, et alia su-

Digitized by Google

perveniunt, ut singultus, vox rauca, summus languor, pallor, consumptio, diarrhoea viridis, et foetens. In decursu morbi modo citius modo serius emolliuntur aphthae, quae mox separantur, et decidunt, ac partem, cui adhaeserunt integram linquunt, sed rubram. Aliae deinde renascuntur, quae ut primae percurrunt, et saepe ita coalescunt, et confluunt, ut lingua, et cavum oris crustis albis tegatur, quae a confluentibus aphthis producuntur. Aphtharum color est varius; nam primum albus, et instar margaritarum pellucidus, dein flavus, cinereus, lividus, niger, qui pessimus est. Saepe aphthae ad oesophagum, ventriculum, intestina extenduntur, ut ab impedita deglutitione, dolore circa stomachum, diarrhoea, et tenesmo cognoscitur. Interdum etiam tracheam afficiunt; sed hoc raro obvenit.

§. 678. Aphthae symptomaticae plurimorum morborum tam acutorum, quam chronicorum constituunt symptoma, ut febrium nervosarum, gastricarum, inflam-

Digitized by Google

matoriarum, intermittentium autumnalium, hecticae, dysenteriae, chlorosis, hydropis, consumptionis, etc. Si primitus hujusmodi aphthae ventriculum teneant, ad oesophagum, et pharyngem propagantur, et saepe ad fauces, linguam, et oris cavitatem ascendunt; deinde hae partes crustis albis obducuntur, plus minusve tenacibus, et adhaerentibus. Adest magna anxietas, inquietudo; ardor et dolor in epigastrio; nausea; singultus; faucium dolor; deglutitio impedita; continua sensatio molesta in oesophago, ut si corpus aliquod ibi haereret. Si vero aphthae in oris cavo, et faucibus egredi incipiant, non raro ad oesophagum, et ventriculum descendunt. Prius dolor, et ardor in ore, et faucibus excruciant; postea nausea, singultus, dolor et ardor in ventriculo accedunt. Si autem aphthae etiam ad intestina producantur, alia prodeunt, ut crudelia tormina; diarrhoea cruenta; cibi et potus immutati dejectio. Maxime enim irritantur intestina, eorum laeduntur functiones, praecipue absorptio. In ore au-

Digitized by Google

tem decidunt aphthae, et partes, quas occupabant, integrae manent, proindeque copiosior fit salivatio. Ejusmodi separatio aphtharum evenit aliquando post paucas horas, et aliae hinc repullulant; aliquando tardius; nam aphthae per plures dies adhaerentes sunt. Hae autem non omnes simul decidunt, sed modo huc modo illuc abeunt, et redeunt. Probabile etiam est, quod id in ventriculo, et intestinis contingat. Aphthae enim ab humoribus, potionibusque deglutitis emolliuntur, et secernuntur, et hinc aliae renovantur. Et ut in ore a deciduis aphthis copiosior profluit saliva, sic in intestinis major fit humorum secretio, unde diarrhoea proficiscitur. Color aphtharum ex albo fit cinereus, obscurus, niger; aphthosa crusta evadit atra, et adveniunt tussis sicca, singultus, dyspnoea, aphonia, vomitus corruptae bilis, vel pituitae, diarrhoea foetidissima, sanguinolenta, abdominis meteorismus, facies cadaverosa, in affectis partibus gangraenae signa, et mors.

Digitized by Google

§. 679. Aphthae secundariae sunt potius exulcerationes, quae aut acutis morbis succedunt, si per perfectam crisin non resolvantur; aut cutaneis morbis, si retrocedant; aut aliis, quorum saepe remanent reliquiae, ut sunt variolae, purpura scarlatina, morbilli, etc. Hujusmodi aphthae ut occupant oris cavum, et fauces, sic oesophagum, ventriculum, et intestina, sicut a symptomatibus comprehenditur. Ubi comparent, afferunt dolorem et irritationem; propagantur per propinquas partes; impediunt masticationem et deglutitionem, et alia inducunt symptomata, prout differt afflicta pars, et fons, a quo scaturiunt. Inter has aphthas aliae evanescunt, renovantur aliae, donec omnino desinant.

§. 680. Quamvis primariae aphthae aliquando a contagio, sive specifico principio scatent, tamen dubitandum non est, quin etiam a plurimis caussis oriantur, ut sunt in recens natis non repurgatum meconium; in lactentibus prava lactis qualitas; in adultis alimenta tenacia, con-

Digitized by Google

coctu difficilia, calefacentia, acria, nimis condita, aromatica, gastrica impuritas, neglecta corporis linteorum vestium mundities, suppressa perspiratio, domicilium in regionibus humidis et palustribus, nulla corporis exercitatio, constitutio anni, corruptus aër, et quaedam ejus qualitates, praecipue frigido-humida, per quam in Batavia epidemice grassantur aphthae. Ejusmodi caussae plus aut minus debilitantes sunt, et dispositionem, quam ad hunc morbum habent pueri, maximopere adaugent. Symptomaticae autem aphthae, et secundariae, a plurimis primariis morbis, ut jam diximus, nascuntur; sed interdum aut a remediorum abusu, ut mercurialium in lue venerea, adstringentium, et opii in dysenteriis; aut a praetermissis opportunis auxiliis, ut purgantibus, et emeticis, dum primas regiones praegravent saburrae.

§. 681. Prognosis aphtharum primariarum ab aegri aetate, temperamento, loco affecto, et symptomatibus deduci-

Digitized by Google

tur. Si enim aetas sit a nativitate proxima ut plurimum majus instat periculum. Ast interdum primis vitae diebus sunt aphthae adeo mites et benignae, ut satis sit melle rosaceo, aut syrupo de moris eas oblinire, et leviter syrupo de cichoreo cum rhabarbaro alvum ciere, ut perfecte sanentur. In senili autem aetate ob virium languorem admodum periculosae sunt. Bona aegri temperies, et virium validitas spem recuperandae salutis nobis offerunt; nam sub istis conditionibus rarius natura succumbit morbo. Ex adverso a mala temperie, et imbecillitate virium maxime timendum est. Si aphthae sint solitariae, et paucae hinc inde sparsae, non ultra oris cavum extendantur, bonum praebent inditium. Subinde vero et si rarae adsint in ore, densae haerent in interioribus partibus, ut ita animadvertit Swietenius §. 984. = Interim tamen quandoque contingit, quamvis rarius, ut pauco numero, et sparsim prodeant in oris interni partibus, dum densae haerent in interioribus. Verum morbi praegressi

Digitized by Google

vehementia, nausea perpetua, singultus, uti et dolor et pondus circa stomachum satis docent attentum medicum, non fidendum esse talibus aphthis, licet sparsae appareant. = Malum autem inditium est, si aphthae ex oesophago ad ventriculum desiliant, aut ab istis partibus ad fauces ascendant. Cum enim internae partes aphthis replentur, multa quidem et gravissima mala consequi solent. Denique quoad symptomata, alia fausta, alia infausta sunt. Spectant ad prima color albus, facilis aphtharum separatio; oris et linguae humiditas; post eruptionem symptomatum omnium imminutio; salivatio; diarrhoea. Etenim cum aphthae sint albae, et adinstar margaritarum pellucidae, earum indolem benignam denotant; quoniam hunc semper colorem praeseferunt, cum hinc inde per ovis cavum sint sparsae, et mites. Opacae vero fiunt, si confluant, coalescant, nec tam benignae sint. Si autem aphthae cito decidant, etsi aliae brevi renascantur; vires suffiocre ad superandum

Digitized by Google

morbum significant. Si post aphtharum separationem os et lingua humida fiat, imminuitur, et cessat febris, et omnia flectuntur symptomata. Si post eruptionem omnia evadant mitiora, id satis morbi benignitatem patefacit, quod in aphthis malignis nunquam evenit, in quibus singula deteriora fiunt. Dum in ore, et in primis viis delabuntur aphthosae crustae, aperiuntur vasa, proindeque sequitur salivatio, et diarrhoea, quae evacuationes dummodo modicae, et aegri vires adhuc valeant, utiles sunt; siquidem ab impuris humoribus repurgatur corpus, et naturales separationes restituuntur. Pertinent ad altera signa aphthae ab initio cinereae, deinde nigrae, coalescentes, confluentes, saepe renascentes, alte cutim exedentes; crusta aphthosa afflictas partes obducens admodum crassa, et tenax; siccitas; impedita deglutitio, respiratio, nutritio; partium gangraena; immodica salivatio; et diarrhoea; saliva sanguinolenta; dysenteria; maxima virium dejectio; convulsiones; consumptio; quibus

Digitized by Google

succedit mors. Dum aphthae colore cinereo efflorescunt, semper mali ominis sunt, ut Katelaer, omnesque practici affirmant. Si aphthosae crustae diu haereant, diversum colorem paullatim acquirunt, nimirum lividum, et nigrum, praecipue circa mortem. An aphthae ab initio sint nigrae, jure cum Swietenio dubitandum est. Plerique enim eas nunquam observarunt. Quae nimis cohaerent, et confluunt, et saepe renovantur, incutiunt metum, ne ad toleranda symptomata vires satis valeant, quae post efflorescentiam constantia sunt. Quae vero profunde exedunt cutim, indolem malignam ostendunt, et citissime in affectis partibus extinguunt vitam. Si crusta aphthosa crassa, et tenax affectarum partium superficiem contegat, per propria emissaria liquidorum praepeditur exitus, unde oritur siccitas; inhibetur etiam vasorum absorbentium functio, unde nutritio corporis absolvi non potest; sic laeditur deglutitio, et respiratio. Accedit aliquando singultus; idque evenit, cum aphthae

Digitized by Google

superius ventriculi orificium lacessunt. Crustis autem subjectae partes inflammantur, suppurant, gangraenosae, et ulcerosae fiunt. Ulcera vero serpunt, partes vicinas rodunt, et hinc alia surgunt deterrima mala. Interdum dum decidunt crustae, sequitur salivatio, aut diarrhoea immodica, vires abolens; aut ex denudatis, et dolentibus partibus extillat vivus cruor, unde salivatio sanguinolenta, et dysenteria proficiscitur. Tandem post tam diu symptomata admodum debilitatur corpus, et tabe conficitur; accedunt convulsiones, et advenit mors. Si aphthae sint symptomaticae ab ipso primario morbo elicitur praesagium. Tamen, ut in primariis diximus, earum sedes, numerus, color, et symptomata praecipue expendenda sunt. Si secundariae, a consideratione earum originis educitur prognosis. Interdum enim si a retrocessu alicujus cutanei morbi nascuntur, facile cessant, si hic ad superficiem corporis restituitur. Interdum autem si per longum tempus persistant, periculo-

Digitized by Google

sae esse possunt, praecipue si aeger sit debilis, et ob praegressos morbos in consumptionis statum delapsus.

§. 682. Pro aphtharum primariarum curatione imprimis caussa inquirenda est, et exhibito in eam remedio, emollientia, edulcorantia, abstergentia, roborantia, liquidum, et tenue alimentum expediunt. Si igitur ab aciditate ventriculi pendeat morbus, absorbentia; si a gastricis sordibus, lenia emetica, et purgantia; si ab atonia universali, maxime primarum viarum, tonica; si a prava lactis qualitate, delectus non adultae, et bene moratae nutricis sub ipso aegritudinis principio, sunt quae magis ad sanationem conferunt. Quoniam aegrotantes persaepe virium languorem patiuntur, raro utilis est sanguinis missio, sive generalis, sive topica. Etiam fortia purgantia raro conveniunt, quae periculosam hypercatharsin producerent. Vitanda quoque est frigida potio, frigidus aer, frigida gargarismata, et quaevis adstringentem, et refrigerantem habeant vim. Hujusmodi remedia

Digitized by Google

adhibent, qui nostras aphthas cum aphthis veterum confundunt. Hae enim resolventibus, illae edulcorantibus et emollientibus tam internis, quam externis curantur. Idcirco Katelaer, qui ab applicatione frigidorum damna constanter induci viderat, ubique admonet, tepidis esse utendum. Ab illa enim applicatione constringi debent vasa, compesci aphtharum eruptio, augeri febris, inferri suffocatio, et angina. Accomoda autem remedia sunt decoctiones hordei cum melle rosaceo; lac; gargarismata ex decoctione hordei, et lacte. Nonnulli ad partes adjacentes leviter calefaciendas, et laxandas emolliens cataplasma collo circumponunt. Deinde aphthae melle rosarum, aut syrupo mororum mixto acido sulphurico ad gratum acorem illiniantur; aut mixtura ex vitriolo albo et aqua tepida composita aliquoties abluantur. Vulgo celebratur borax, qui ad dimidiam drachmam unciae mellis, aut alicujus syrupi immiscetur, et pluries in die partibus affectis apponitur; aut mixtura ex dimidia libra de-

Digitized by Google

coctionis hordei, vel seminum lini, et duabus drachmis boracis, et melle pro gargarismate paratur. Si aphthosae crustae nimis sint densae, exiccatae, adhaerentes etiam oesophago, ventriculo, et intestinis, non solum decoctiones emollientes tepidae, et lac juvant, sed etiam quae levissime resolvunt, et stimulant, ut rapae sativae succus, vel decoctum; juscula carnis vitulinae cocta cum oryza, et rapis contritis, quae etiam mite alimentum suppeditant. Dum autem decidunt crustae, saepe partes, ubi haeserant, excoriatae et dolentissimae remanent; ideo emollientia et dumulcentia solum conferunt, ut mucilago arabica, seminum cydoniorum in aqua tepida soluta, melle vel aliquo syrupo edulcorata; aut Swietenii remedium ex cremore lactis, vitellis ovorum, et syrupo papaveris compositum. Interdum deciduis aphthis nimia ob dilatationem vasorum contingit salivatio, aut diarrhoea, quae vires aegrotantium elidunt. Hoc in casu dumtaxat roborantia conveniunt. Swiete-

Digitized by Google

nius tantam salivae copiam observavit profluere, ut eam aegris deglutire praeciperet, ne ab hujusmodi jactura salivae exhaurirentur vires. Observandum vero est, quod aliquando post deciduas aphthas, transactis aliquot diebus, renascuntur aliae; ideo non statim, sed cum aegri melius se habeant, evanescat febris, et urinae cum hypostasi reddantur, ad remedia roborantia est recurrendum. Si tormina, diarrhoea, convulsiones urgeant, fotus emollientes abdominis, clysteres ex aqua hordei, emulsio arabica, leve narcoticum, praecipue si aegri somno orbantur, auxilio sunt. In fine autem morbi conducibile est purgans, quod dum humores irritantes, et crustas aphthosas separatas expellit, minime debilitat, ut est rhabarbarum. Si alimentum, ut diximus, esse debet liquidum, et tenue, quod facile possit absorberi, apta erunt juscula pulli, aut carnis vitulinae, decoctio panis cum melle; nam hoc crustas aphthosas abstergit, et ad separationem disponit. Concedi etiam potest vi-

Digitized by Google

num cum decoctione panis valde dilutum; sed illius dosis major, vel minor sit, secundum febris gradum. Si cavum oris, fauces, et tota primarum viarum superficies obsidentur aphthis, nec deglutiri, nec absorberi possunt potiones, et victus, etsi tenuissimus, et liquidus, tum Swietenius jure meritoque balnea, et fomenta praecipiebat, ut aliquid per externam corporis superficiem induceretur. Inquit autem immersionem manuum, vel pedum in balneo lactis dupla aquae copia diluti maxime profecisse. Clysteres etiam injici possunt aut ex lacte, aut ex jure carnis vitulinae cum ovorum vitellis; siquidem expeditior erit vasorum absorptio in crassis intestinis, quae forte ab aphthosis crustis non adeo conteguntur. Cum morbus in pejus ruat, et nimia sit virium infirmitas, et convulsiones accedant, usurpari debent cardiaca, cortex peruvianus, contrayerva, castoreum, moschus, aliaque hujus generis.

§. 683. Si primarias aphthas arcere velimus, removeantur caussae, a quibus

Digitized by Google

nascuntur, praesertim in infantibus. Si ex. gr. in recens natis non egeritur meconium, quamvis hi sugunt colostrum matris, quod leniter evacuationes promovet, sollicite apto medicamento abigatur. Praeterea lac sit bonae qualitatis; evitetur in ore lactentium coagulum lactis; mundities corporis, et velamentorum conservetur; aër ambiens sit purus; perspiratio custodiatur. Quandoque tanta est in ore, et in ventriculo mucositas, ut necessarium sit leve emeticum, et postea blandissimum purgans, ut syrupus cichorei cum rhabarbaro, florum persicorum, manna, etc. Solet etiam oris cavum raphani ortensis acrioris succo melle aut alicui syrupo mixto abstergi; et oris lotiones fiunt ex decocto hordei, aut simplici aqua cum saccharo. Sic si praesto sint saburrarum gastricarum indicia, nunquam emeticum, purgans, clysteres omittantur. Alimenta denique, quae dantur pueris, eorum aetati, et constitutioni congruant.

§. 684. Aphthae symptomaticae praeter localia remedia, quae hactenus enu-

Digitized by Google

meravimus, alia certe quaerunt, secundum morborum naturam, quorum symptoma sunt. Si ex. gr. febres inflammatorias comitentur, quod raro obvenit, sanguinis missio aut generalis, aut localis praescribenda est; si febres gastricas, juvant quae sordes expellunt; si febres nervosas, quod frequentius evenit, inter quae apta videntur, cortex peruvianus eminet, etiam exterius adhibitus, si aphthae livescunt, et nigrescunt; si febres intermittentes, ipse cortex peruvianus celebratur. Sydenhamius in sched. monit. de novo febris ingressu pag. 656. de aphthis agens, quae post quamdam febrem epidemicam adveniebant, corticem peruvianum commendat, dum erant diuturnae. Hanc autem febrem merito supposuit Swietenius, remittentem fuisse, quae intermittentium habebat ingenium, ut saepe solent remittentes febres habere, quae cortice peruviano sanantur. Aphthae etiam secundariae praeter localia exposita remedia, requirunt quae secundum earum originem apta videntur. Si

Digitized by Google

enim a summa debilitate promanant, quam praegressi morbi relinquunt, victus eupeptus, et tonica auxilia adjumento sunt; si a morborum reliquiis, hae sunt corrigendae, et si fieri potest, auferendae. Quaecunque tandem sit aphtharum species, si hae diuturnae sint, et nullo modo remediis superandae, cotinuetur victus salubris, usus lactis, et edulcorantium, modica corporis exercitatio, aliqua corticis peruviani decoctio; sed super omnia, ut animadvertit Alibert, in mite, et salubre coelum migratio est commendanda. Haec sunt, quae de exanthematibus erant dicenda.

FINIS TOMI TERTII.

Digitized by Google

INDEX

CLASSIS III. EXANTHEMATA

GENERALIA DE EXANTHEMATIBUS pag. 3

ORDO I. *Exanthemata plana*

GENUS I. *Erysipelas* 36

GENUS II. *Scarlatina* 82

GENUS III. *Urticaria* 117

GENUS IV. *Peticulae* 127

ORDO II. *Exanthemata elevata*

GENUS I. *Miliaria* 170

GENUS II. *Variolae* 201

GENUS III. *Variola spuria* 269

GENUS IV. *Morbilli* 275

GENUS V. *Zoster* 323

GENUS VI. *Pemphigus* 333

GENUS VII. *Aphthae* 345

Digitized by Google

NIHIL OBSTAT

Fr. Carolus Thil. August. Cens. Theol.

NIHIL OBSTAT

Carolus Porta Med. Colleg. Revisor Dep.

IMPRIMATUR

Fr. Jos. M. Velzi O. P. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

J. Della Porta Patr. Constant. Vicesg.

Digitized by Google

Digitized by Google

PREZZO DEL PRESENTE VOLUME

Bajocchi Cin.

Digitized by Google

MC

005669556

Digitized by Google